Montus
Opuscul
Iuueni.

1556

o/n 4436/R

A.xxix.Mon

P.C.29 ~~20289~~.

M

289

OPVSCVLA IVVENILIA,

&

D. Hieronymi Montui, Mirebelli domini, Chriſtianiß. Francorum Regis Conſiliarij, Mediciq́ ordinarij.

Quorum catalogum proxima pagina indicabit.

LVGDVNI
APVD IOAN. TORNAESIVM
ET GVLIEL. GAZEIVM.

M. D. LVI.

Cum Priuilegio Regis.

OPVSCVLA IVVE-
nilia nunc recèns in lu-
cem emiſſa.

*

Viator, ſiue Itinerarium.
De abditis centuriæ duæ.
Selectorum ſectiones tres.
Exalogi de his quæ ad Medicum pertinent.
De medica theoreſi liber primus.

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

Ad Franciſcum Delphinum

HENRICI CHRISTIANISS. GALLIARVM REGIS FILIVM HÆREDEM.

*

SI fructus ingeniorum primitias Deo dedicare homines debent, vt æqua eſt Iſocratis ſententia, non verebor, Sereniſsime princeps, primam ingenioli noſtri fœturam, quamuis rudem (hanc enim olim Adoleſcens peperi) M. T. conſacrare. Etenim heroës, principesq; virtute illuſtres æſtimati ſunt Dij. Quod illud Poëtæ de Auguſto teſtatur

Nanq; erit mihi ſemper Deus.

Itaque quum adhuc raptares, vt ſic dicam, vel te tua motaret animula in fœlici

Reginæ matris vtero, ab illo fui Regum maximo Franciſco auo tuo delectus, quò & Matris, & mox naſcituri infantis, futuros morbos declinarem, curaremq́ iam præſentes. Pluribus ſanè malis tenera infantiæ ætas addicta, obnoxiaq́ eſt: vt pueros omnes non mori mirum videatur. Tu enim à grauedine, tuſſi, aphthis, gingiuarum inflammationibus, à frequenti diarrhea, à ſynocho febri, & viriolis (quas variolas vocant) ſanatus es, Dei opt. Max. auxilio, noſtraq́ operula. Sicq́ primus factus ſum tuus non modò conſiliarius Medicus, ſed & præguſtator. Nam rerum aliquid ſalubrium oſculo tuo inſerui, ante quàm lac ſuggeres, lactiſq́ quo eras alendus periculum feci. Imo & ſacram, qua primum intinctus es, iuſſus delibaui. Quamobrem vt tu Princeps meus, meam in te obſeruantiam agnoſceres iuuenile opuſculum M.T. hoc dicare debui. Tùm quod eius argumentum à fonte deſumptū eſt. Qui ante

mille

mille annos in tua nobiliſsima Delphinatus prouincia ſcaturit, famoſusq́; eſt. Quo de & Diuus meminit Auguſtinus.

Sunt illic etiam alia admiratione digna: veluti Mons inaceſſus, & Turris venenatis animalibus mortifera. Præterea in eadē prouincia uitalis ac perennis ſalubritatis cœli temperies eſt. Tam fœlices campi. Tam aprici colles, tam innoxij ſaltus. Tam opaca nemora, Tam munifica ſyluarum genera. In quibus ſyluicolarum varia copia. Apri, ſues, cerui, damæ, capreæ, lepores, capreoli, cuniculi, tot montium afflatus, tanta frugum & vitium fertilitas, tam nobilia pecori vellera, tot armenta, tot lacus, tot amnium fontiumq́; vbertas, tota eam perfundens. Omitto tot ciuitates, vrbes, oppida, villas, populos, tot expeditas Militum cateruas, tot fortiſsimorum nobilium centurias, tot gymnaſia. Fœlix quoque patria eſt Senatorum quos plures habet, prudentiſsimoſq́;, æquitate, bonorum Medicorum

qui inibi ſedent, præſentia, & Eccleſiæ in vera religione concordia. Non deſunt Archiepiſcopi Abbates, Epiſcopi. Eſtq́ illic templum Diuo Antonio dicatum, decēti architectura cōſtructum, atq; multis Regum, principumq́ donarijs exornatum. In quo nunc præſidet Franciſcus à Langiaco inſignis eruditione, ac vitæ ſanctitate cœnobiarcha. Illuc ex omni orbis plaga ſiue tractu, homines confluunt religionis ergo. Cæterùm magnam ô Princeps ſuſtines expectationem: primùm, quòd adeò fœlix tua fuit natiuitas, vt non Gallia modò, verū vniuerſa ferè Europa exortu tuo lætata ſit. Deinde parentem habes Regum omnium fœliciſſimum, qui ſuo Auorumq́ exemplo ad heroicas virtutes te dietim excitat, perinde ac ſi ad hunc te modum alloquatur:

Diſce puer virtutē ex me, verumq́ laborem
Fortunam ex alijs.

Ad hæc ſi Alexander Magnus fœlix & ſapiens euaſerit, quòd Ariſtotele fuerit

præcept

præceptore vſus. Si Achilles inter tot Militum miriades, inter tot Regum decurias potiſsimus eſt habitus, quoniam Chironi Centauro obſequutus ſit: te illis parem, aut potiorem fore ſperamus, vbi matura adoleuerit ætas, ſiquidem plurimi te penes ſunt Ariſtoteles, qui humanarum diuinarumq́ rerum ſcientiam cum probitate habent coniunctam. Inter quos eminens eſt ille tuus, quo familiariter vteris præceptore, Daneſius nunc epiſcopus digniſsimus. Aſsiduus item adeſt tua in Regia Gubernator magnus Durſe dominus, regifici ordinis Eques. Qui te etiamnũ Adoleſcentulum in pacis & belli artibus facit excellere. Deus optimus Maximus te plurimos in annos ſoſpitem & incolumen conſeruet.

Tuus humlimus obſequentiſſimus
Hieron. Montuus.


Εκ τοῦ πόνου παύλη.

VIATOR, SIVE, ITINERARIVM,

Ad D. Aymarum Falconem ſuum.

NVPER iturus ſtudio diſcendi in latium abs te diſceſſi. Sed vt milites declinarem, hoc eſt, omnium communes hoſtes, vt Iſocrat. exiſtimat, qui vias militares pleraſque omnes complere videbantur, Dum itiner per Dienſem ciuitatem intenderem, fortuitò in illum incidi admirabilem fontem, qui à Grationopoli famoſa Allobrogum ciuitate ſex lapidibus, vel non adeò procul, ſitus eſt. Hunc admirati, & fermè Dienſis ciuitas.

per ſeſquihoram contemplati ſumus. Ita vt imprudēti mihi iſthuc effluxerit Diſtichon. Quod non in rugoſo populi cortice, vt ſuos amores Paris inſculpſit, ſed ſupra fontis ſcatebram in ſolo inſcripſi.

En oculis mirum, tum quod mirabile dictu eſt.
Fons habet vnus aquas cum flamma ſæpe profuſas.

Cecinit & Ouidius ex Pythagora aquarum, fontium, & fluminum miracula duodecim hoc eleganti carmine.

Ante bibebatur, nunc quas contingere nolis
Anigrus. *Fundit Anigrus aquas, poſtquã, niſi vatibus omnis*
Eripienda fides, illic lauere bimembres
Vulnera Clauigeri quæ fecerat Herculis arcus.
Hypanis. *Quid? non & Scythis Hypanis de montibus ortus*
Qui fuerat dulcis, ſalibus vitiatur amaris
Pauca ſuper referam, quid non & limpha figuras
Dat capitq; nouas? medio tua corniger Amnon
Vnda die gelida eſt ortu, obituq; caleſcit.
Athamantis aquis lignum accendi. *Admotis Athamantis aquis accendere lignum*
Narratur minimos quum luna recedit in orbes.
Flumen habent Cicones, quod potum ſaxea reddit
Viſcera: quod tactis inducit marmora rebus.
Cratis & hinc Sibaris noſtris conterminus oris
Electro ſimiles faciunt, auroq; capillos.
Quodq; magis mirum, ſunt qui nō corpora tantùm

Verùm

Verùm animos etiam valeant mutare liquores.
Cui non audita eſt obſcenæ Salmacis vnda.
Aethiopesq́; lacus,quos ſi quis faucibus hauſit
Aut furit, aut patitur mirum grauitate ſoporem.
Clitorio quicunque ſitim de fonte leuarit Fons odium
Vina fugit, gaudetq́; meris abſtemius vndis vini inducẽs
Seu vis eſt in aqua calido contraria vino.
Siue quod indigenæ memorant Amythaone natus
Pretidas attonitas poſtquam per carmẽ & herbas
Eripuit furijs, purgamina mentis in illas
Miſit aquas. Odiumq́; meri permanſit in vndis.
Huic fluit effectu diſpar Linceſtius amnis.
Quem quicunque parum moderato gutture traxit,
Haud aliter titubat,quàm ſi mera vina bibiſſet.
Eſt lacus Archadiæ, Pheneum dixere priores Pheneus lacus Archadiæ nocte nocet die non.
Ambiguis ſuſpectus aquis quem nocte timeto.
Nocte nocent potæ,ſine noxa luce bibuntur.

Strabo quoque geographus lib.10.refert, quod Euboici amnes ſunt Cereus & Nereus, è quorum altero ſi qua pecus potauerit,alba efficitur,ab altero verò vellus atrum contrahit. Quod hoc quidem diſticho Clithoneus expreſſit. Cereus & Nereus.

Sunt & aquæ, pecudũ quæ candida vellera nigro
Candidaq́; ex nigro potæ in contraria vertunt.

Plurium itaque Seneca 3.natur. quæſtio-

num libro meminit. Pluria etiam 2. natur. hiſto. tradit Plinius. At demonſtrationem & cauſas celebrauerint quibus abundè ingenij, & otij & verborum eſt. Nos ſatis habemus, quæ in tranſcurſu admiratione digna vidimus, tibi indicaſſe. Quorum rationes (vt multam effugiam, qua multari debent, qui ipſi adhuc ineruditi, ad erudiendos alios temerè proſiliunt) an noſtra perquam tenui doctrina explicari poſſint me dubitare fatebor. Quod tamen periculum, modò tu boni conſulas, nunc percunctantes faciemus. Vale, & amantem redama. 1518.

AMBIGVITAS PRIMA.

Quid cauſæ eſt, cur aqua ſimul atque ignis vno de fonte emergat? Id certè mirum & contra naturam videtur, quum aquam ignemq; ratione formarũ, aut affectionum caliditatis ac frigiditatis contrariarum, non ſimul ineſſe, verùm diſtare abinuicem oporteat. Contrarium enim ſemper fugit vt pote, ſibi infeſtum contrarium.

Sulfur & Naptha in voraginibus ac aperturis terræ.

An quod terrenæ voragines & aperturæ ſub quas vnda elabitur, ſulfure aut naptha, ſimilíve materia coalitæ, concretæq; ſunt, vti

vti odor, aliæque notæ indicare videntur. Quocirca ab exhalatione quam habent vt vernaculam, & inde & ſolis & aſtrorum ſufficiente calore natam, exuruntur. Exhalatio ſiquidem quum igneæ naturæ cognata extet agitatu & multis ſuccuſſa verſionibus ardet & accenditur. Ignita ſubinde atque flagrans per idem cum aqua emergit emiſſarium.

Adde quod in conualle ſecundum amnem hoc natura mirum non fruſtra locauit. Quandoquidem exhalationis ardor antiperiſtaſi (quam dicunt contrariorum circunſtantiam) vegetior fit.

Igitur quæ ſibi inuicem contraria ſunt, vt ignis & aqua in eodem loco, ac per idem tempus ſimul non manere, ea item vno de fonte manare, ex his manifeſtum eſt.

AMBIGVITAS II.

Quamobrem quum alueus exundauerit, aut à riuo digreſſus fonti incubuerit, nõ protinus flamma emoritur? nam ſtrangulari certò debet, quum ſpiritu vti nequeat. Sed aduerſus amnem reſurgit, ſurſumq; per vndam ſeſe attollit.

An quia per ſpiramenta ſeu ſpiracula telluris circumfuſæ, quæ foraminulenta eſt, flamma reſpirat. Idcirco non ſuffocatur. Deinde in materia ignis oleoſa, qualis videtur naptha, aut craſſa, qualis eſt ſulfur, aqua non perſiſtit, nec poteſt adhærere. At ignis contrà illi tam arctè hæret, vt aboleri vel per aquam vix queat.

AMBIGVITAS III.

Cur ignis flamma aſſiduò propatula non fit? quemadmodum aqua, quæ nunquam non emanat, fons enim manalis eſt, & in plures partes abundans.

An quod flamma expirat, vbi deeſt exhalatio, paſtúſque deſit, aut altero eius motu priuatur. Itaque quum foramina terræ ambientis ſic denſantur, vt auram nullo pacto admittant, flammam aboleri, ſeu corrumpi neceſſe eſt. Aqua verò perpetuò ſubterfluit, ſiue per ſtillas indigena, ſiue aliunde effuſa ſit.

AMBIGVITAS IIII.

Quid eſt cur, aqua, quæ veluti cõmixta flammæ ſcaturit, feruida non eſt?

Vtrum quod per terræ calidæ meatus nõ percolatur. Tellus nanque fonti ſubdita cauernoſa non eſt ardentiq́; vacat exhalatione. Qua nimirum balneæ thermæq́; omnes & feruent, & ebulliunt. Vnde hic languoribus liquor prodeſſe aut opitulari nequit. Quoniam exhalationis ſecum ſalientis accenſæ facultatem minimè retineat.

SCHOLIA IN PRAFAT.

Ex Pythagora. Poëſis à philoſophia forma ſeparatur, etenim quatenus ſe prima fronte nondum excuſſa demonſtrat, à veritate abhorret, vt ſcribit Sineſius, re tamen nihil aliud eſt, quàm philoſophia, vt apud Tyrum Platonicum legimus, quæ quidem tempore ſit antiqua, harmonia verò metrica, ſententiiſq́; fabuloſa. At philoſophia nihil aliud eſt, quàm poëtica, tempore quidem recentior, ac clarior ſententijs. Proinde videre eſt ſummos philoſophos Platonem, & Ariſtotelem, Theophraſtum, Plutarchum, Galenum, & Aphrodiſeum atque alios pleroſque ſua crebrò placita tueri Homeri, Heſiodi, Pindari, Euripidis, Theocriti, aliorumq́; poëtarum autoritate. Acce-

Philoſoph⁹ φιλόμυθ⊗. dit quod philoſophus natura ſit φιλόμυθ⊗ quia fabula admiratione conſtat. Admiratio autem philoſophos peperit.

Contingere nolis. Inueniuntur aquæ genera mortifica, quæ maleficis mixta venenis habent in ſe vim venenatam, ex quibus non ſolùm qui biberint moriuntur, ſed etiam qui lauerint vt Cychros in Thracia lacus, & Anigrus Theſſaliæ fluuius. Itaque quum elementa in ſuis naturis homogenea ſint, aquarum miracula, proprietates, affectionesq́; variæ, aliunde quàm ab elementi natura conſurgunt. Nempe ob admixtam in aquis ſubſtantiam, aut eiſdem influxam qualitatem.

Salibus vitiatur amaris. Aquæ egredientes per terræ venas, in quibus dulcis, acer, aut acidus ſuccus ſubeſt, intinguntur dulcedine, aut acredine, per ſaliſodinas percurrentes neceſſariò ſalſæ fiunt, & amaræ, ſi ex amaro terræ ſucco exeant. In Ponto flumen Hipanis à capite profluit circiter milia quadraginta ſapore dulciſſ. deinde quum permiſcetur ei funticulus, cuius aqua per id genus terræ & venæ, vnde ſandaraca foditur, emanat, tantam fluminis magnitudinẽ red-

dit

dit amaram, vt Vitruuius refert. Odorum colorumq́; in aquis ratio eadem eſt, quod planum facit Ariſtotel. 2.meteor.

Vnda die gelida. Ardens in imò exhalatio ortu, obituq́; vehementior fit, per antiperiſtaſim, quæ contrà interdiu remittitur, vel deſinit, nam ſol comprimit exhalationes meridianas, quas auget exoriẽs occidensq́;, teſte Plinio.

Accendere lignum. Eſt itaque fons in Epyro, qui accenſam facem extinguit, extinctam autem accendit, vt narrat D. Auguſt.

Quum luna. Eadem quæ creſcente luna gliſcunt, deficiente contrà luna deficiunt, vt ait Maternus. Augentur autem augeſcente luna aquæ, humores, mollesq́; partes ſimilares, vt ſcribit Auicenna. Æturorum quoque oculi ampliores fiunt, vt Gellius tradit, apud quem Lucilius, luna alit oſtrea, & implet echinos, Muribus fibras, & pecui addit. Vrſinus item.

Sanguis & in duro tunc creſcunt oſſe medullæ
Quum creſcunt triuiæ lumina magna deæ.

At cepe ſolum holerum omnium teſte Plutarcho reuireſcit & cõgerminat decedente luna. Contrà autem inareſcit adoleſcente.

Saxea reddit. Viſcera ſcirrhoſa effici poſſunt vi aquarum potarum pergelida & minerali. Eſt fons apud Ginetri caſtrum, ſex lapidibus à Vienna ſemotum. Qui à culina ad moletrinam decurrit per ligneos canales in quibus ſi quid imprimas, aut ſculpes, altero die lapidem inuenies cum impreſſa concretum effigie, vt nos ſubinde vidimus. His locis, inquit Vitruuius, ſuccus ſubeſt coaguli naturę ſimilis, deinde quum commixta vis egreditur per fontes extra terram, à ſolis & aëris calore cogitur cōgelari, vt etiam in areis ſalinarijs conſpicitur.

Auroq; capillos. Forſan qui ſulfurati, ob idq; opacos de trudunt vapores, capillis immiſtos.

Verùm animos. Tanta eſt corporis & animæ neceſſitudo, vt ſua bona ac mala omnia, velint nolint inuicem communicent, vt autumat Plato in Carmide. Itaque Galenus animi affectus corporis temperamentum ſequi affirmaſſe fertur. Quid quod beneficio Medicinæ fieri poteſt, vt quis in nouam temperaturam, & per ſequelam in morum tranſeat nouitatem. Quod in phreniticis & melancholicis liquidò apparere aiũt.

Id

Id quoque exemplo haud ſanè incommodo roboratur, nam vinum immodicum mores varios condit quum bibitur, vt homo idem inter bibendum moribus immutetur varijs, viniq; menſura quadam idem crebrò à ſeſe diſcrepet.

Salmacis vnda. Eſt Cariæ fons, in ſe deſcendentes effœminatos remittit. Congelatis ſcilicet genitalium particulis.

Aethiopeſq; lacus. Horum aqua pota mentis inſaniam & ſoporem parturit, frigefacta cerebri aut ſanguinis temperatura vi narcotyca, ſanguinis enim varietas vt tradit Ariſtoteles mentem variat. 2. de part. animal.

Clitorio. fons eſt Archadiæ, & ſemel hauſtus vini inducit odium cæca proprietate, vel non facile ratio inueniri poteſt.

Amithaone natus. Melampus caprarum paſtor, vt putat Dioſc. vel potius vates, & qui primus medicamentis ſanare, ac purgationibus inuenerat, vt apud Politianum in miſcellaneis refert Appollodorus, quatuor Preti filias à furore & inſania veratro liberauit.

Linceſtius amnis. Liceſtius apud Vibium ſequeſtrem legitur, amnis eſt Thraciæ, cu-

ius aquam bibentes ebrij fiunt,forſan quòd calefica ſit aquæ facultas, & in ſublime ferri apta, vt lædere vaporibus cerebrum poſſit. Sunt enim vt dictum iam eſt, aquæ tales, quales terræ per quas fluunt.

Pheneum dixere. Pheneus Archadiæ lacus interdiu innoxius, forte quia minus frigidus. Noctu potus mortifer dicitur. An quòd maleficam ab aëre nocturno accipiat ſubſtantiam,vel qualitatem.Sic luna putredine cadauera abſumere dicitur, ob defluuij, quod ab ea procedit proprietatem, vt ait Plutarchus in ſympo.

Alba efficitur. Pilorum coloris diſcrimina ſecundum Ariſtotelem 5. de gen. animal. pro cutis qualitate brutis proueniunt. Alborum enim alba eſt cutis,nigrorum nigra,variorum permiſtorumq́; partim alba, partim nigra eſſe conſpicitur. Præterea calidas aquas pilum facere album, frigidas nigrum Idem loco præcitato tradidit. Item in 3. de nat. animal. præ nimia inquit amnis frigiditate in terra Aſſyritide Agnis nigritia efficitur. Verùm Albertus rerum magnus peritia, & cognomento, nigritiam feruidæ aquæ vi aſcribere videtur.

SCHO

SCHOLIA IN PRIMAM AMBIGVITATEM.

*

Quid cauſæ eſt. Πρόβλημα ambiguitatem vocat Quintilianus, nec eſt quæſtio dubitabilis, quum hic cauſa tantum dubitetur, & non res ipſa. Sed eſt quæſtio ſiue interrogatio contemplationem deſignans, vt colligitur primo top. Vel ad electionem vel fugam, qualia ſunt problemata moralia. Aut ad veritatem & ſcientiam, qualia ſunt mathematica & naturalia. In quibus progreſſu demonſtrationis quod eſt, & propter quid aſſimili, ſcite pleraque diſcutiuntur. Quod aliquoties in Ariſtotelis, aut opinionum eius germani Alexandri problematis videre eſt. Quibus quæſtionum ex omni genere dogmatum afferunt ſolutiones. Plutarchus quoque problemata conſcripſit ad percipiendos plures antiquorum ritus & mores vtilia.

Porro quæſtionum genera duo prima, vnum quod rem ſpectat infinitam. Alterum quod rem difinitam ſpectat. Et horum vtrumque in duo alia genera partiti ſunt. Alterum quod ad cognoſcendum, alterum quod

quod ad agendum referatur. Cognitionis tres ſpecies, coniectura, diffinitio, conſecutio. Actionis duæ ſpecies vna ad perſequendum aut declinandum. Altera, quæ ad aliquod commodum vſumq; referatur, horum explicatiorem interpretationem tradit Georg. Valla. in lib. expetendarum fugiendarumq; rerum.

Sed Ariſtoteles quæſtiones verè ſcibiles quatuor tantùm numerat, ſecundo poſter. ea nanque quæ quæruntur, æqua ſunt numero his quæcunque profectò ſcimus. Quę autem quærimus quatuor ſunt, videlicet ſi eſt, quid eſt, quia eſt, & propter quid eſt.

Id ſane mirum. Nam admirationi ſolent eſſe ea naturæ opera, quarum de cauſa non liquet, vt ſcribit Ariſtoteles in Mechanicis.

Ratione formarum. Voci dictioniq; de genere ſubſtantiæ nihil eſt logicè contrarium, vt Architas in predicam. oſtendit. Rei tamen quæ ſubſtantia eſt, aliquid eſt phyſicè contrarium. Quando in vnoquoque genere rerum phyſico ſit vna prima contrarietas, vt ait Ariſt. primo phyſ. veluti quum ex aqua generatur ignis, forma aquæ, quæ abijcitur, & ignis forma quæ acquiritur, adin

adinuicem contrariantur. Sunt enim ſub eodem genere poſita, & maximè à ſe inuicem diſtant naturæ diſſidio, atque repugnantia, eidemq́; ſuſceptibili, ſubiectóque incompleto viciſſim inſunt. nam eadem numero materia, quæ prius erat ſub forma aquæ, poſteà recipit in ſe formam ignis. Neque ratio contrariorum exigit, quod viciſſim adſint formæ illę eidẽ ſubiecto cõpleto.

Quum vnaquæque ſubſtantialis forma completo adſit à natura. Neque poteſt manente completo eidem abeſſe. Demum ab illo ſuſceptibili incompleto, cui viciſſim aſſunt, mutuò ſe formæ prædictæ expellunt. Nec poſſunt illi ſecundum eandem ſubiecti partem adeſſe. Ex quo apparet ſubſtantias incompletas & ſimplices eſſe contrarias, vt forma ignis & forma aquæ. At completæ nullum entium ſubſtantiæ contrarium eſt, vt docet Ariſtotel. quinto Phyſ.

Affectionum contrariarum. Agunt inuicem patiunturq́; per primas elemẽta qualitates, vt declarat Auer. ſecundo de gener. & cor. com. 8. Igitur per eaſdem affectiones eſſe cõtrarias cenſendum eſt. Quia omnis actio à contrario 1. de gen. & cor. com. 50. & 51.

Non

Non ſimul ineſſe. Inuicem ſeſe corrumpunt contraria, vt idem loco allato docet. Sunt autem contraria vt inibi definit Ariſtoteles quæ ſub eodem genere poſita maximè ab inuicem diſtant, & eidem ſubiecto viciſſim inſunt, à quo mutuò ſe expellunt, niſi alterum eorum inſit à natura.

Vnda elabitur. Spirationum ex quibus vniuerſæ impreſſiones fiunt, vna eſt calida & ſicca, quæ exhalatio dicitur. Altera calida & humida, vapor. Prior à terra, aut terreis ſuſtollitur corporibus. Poſterior ab aqua, aut aqueis ſpirat. Ex hisq; duabus reliquæ naſcuntur. Veluti igneæ & aëreæ, ab exhalatione. Aqueæ vapore, terreæ vapore & exhalatione. Porrò exhalatio ad partem aëris ſupremã conuiam igni pertingit aut ad mediam vſque, aut ad infimam: nam aër trifidus eſt primo meteor. aut deorſum ſuppreſſa non tollitur. Ex priori, quæ ſublimior eſt nouem cometarum differentiæ oriuntur, nempe Ἀκοντίας. Σιφίας. Δισκεύς. Πιθέτης. Ηερατοειδής. Λαμπάδες. Ἱππεύς. Ἀργυροκόμης. Λογχίτης. Hi omnes naturæ opus ſunt, ideo naturales habent ſignificationes & nõ timendas, vt plerique autumant. Nec ſolis lunæ've

ecli

eclipſeis portendunt quidpiam mali,ſed ſignificat terram interpoſitam à ſole ad lunam vel lunam à ſole ad terram in ecliptica linea. Ita etiam cometa eſt exhalatio vi ſyderum ad ſupremum aërem attracta, quæ nihil prorſus mali in ſe habet, ſed ſiccitatẽ & vẽtorum procellã tum caliditatem præſignat. Si verò lata exhalationis inflammatio eſt,& diſcontinua, atque longa,fiunt ſtipulæ ardentes. ſi per globos accẽnditur & ſcintillat, videntur Eges & Capræ, ſi non ſcintillat vocatur Dalus. ſi verò aſcendit ſecundum longum & latum, & tranſcurrit ſuo tractu aëra poſt ſignans, ſydus volans nuncupatur.

Exhalatio rurſus in media regione,ſi clauſa cõſiſtit in nube, hac valide cõcuſſa,tonitrua fiunt.ſicut detruſa eiaculataq; flamma, fulmen, fulgetrum, & tonitruo poſterior, prius tamen viſu percepta,fulguratio,coruſcatio'ue.Ecnephie & Tiphones ſunt exhalatio ſine flãma.Phantaſmata, hiatus & voragines ſunt exhalationes coloratæ. Luminis enim refractione omnimodos colores oſtendere poteſt exhalatio.

Quæ in regione aëris infima, ſi ad latus

conuertitur & in obliquum meat,vēti procreantur. Quorum quattuor principaliſs. de quibus Manlius,

Aſper ab axe ruit Boreas.Fugit Eurus ab ortu.
Auſter amat medium ſolem.Zephirusq; profundū.

Poſtremò quum exhalatio diſperſa deorſum relabitur, ſalſitudo in mari, procreatur aut terram tetro complet odore. Denique exhalatio in terrarum cuniculis & ſpeluncis incluſa, ac veluti conſtricta, terræ motum concitat.

Vapor ſurſum latus ad medium aëris interſtitium, ob regionis frigidæ contactum conſtringitur, & longa gelatur mora. Inde nix gignitur, vel repente congelatur, hinc grando. Vel denſatur infrigidatus atque iterum per ſtillas deorſum erumpit, fitq; pluuia. Quæ ſi minoribus ſtillis crebra deſcendit,imber: ſi impetuosè,ſubitò, & craſſioribus totis ſimul,lambrocera vocatur.

Vapor in regione infima vel gelatur, quod facta pruina contingit. Vel in aquam verſus cernitur, quemadmodum ros. Vel craſſior multusq; eſt, & tandem in aquam ſoluitur, vt nubes. Vel diſpergitur atq; euaneſcit, vt caligo. Ex vapore demum ſubter-

in

in terrarum cauis nato & ex aëre (quoniam inania eſſe non poſſunt telluris antra) ſuperante frigiditate aqua ſuboritur, & cõtinuò quidem. Vnde ſcaturigines fiunt, quæ fontium & fluuiorum principia ſunt, & ortus.

Ex vapore inſuper & exhalatione intra humi ſpelea, ſeu cuniculoſo in ſpecu, tripli ci diuiſa ſpecie foſſilia proueniunt, vtpote, lapides & metalla, & quæ amborum naturam imitantur. Lapis opacus ex terra, vel terreſtri exhalatione gignitur, ab aqua vel humido vapore paſſa. Diaphonus ex aqua vel aqueo vapore naſcitur, à terreſtri ſicco vel exhalatione paſſo. Vterq; minerali vi & caloris aut frigoris adminiculo concreſcit, ſed gemmarum materia humidum puriſſimum eſt. Quod non ſolùm à frigore, ſed etiam à ſolis calore concreſcere poteſt, nam in India & locis feruidis gemmæ precipuè reperiuntur. Cryſtallus non fit ex glacie aut niue, vt credidit Plinius, quia ſolueretur ab igne aut ſole velut glacies, ſed naſcitur ex minera, ex humido puriſsimo, vt Berillus & Adamas, eſt enim clarior, & magis diaphana quàm reliquę gemmæ. Et ſi Diodoro credimus, ex qua congelata vi ſolis efficitur, ſi-

quidem calor eius inſpiſſat, ſiccitas indurat, lux illuminat, & ſplẽdorẽ addit. Itaq; metallicorũ ſol, aſtraq́; cætera cauſam eſſe remotam, ſulfur verò argẽtumq́; viuũ propinquã Chynici affirmant vno conſenſu omnes.

Sulfure & naptha. Hæc bituminis eſt colamen Dioſcoridi & Plinio, bitumen vt inquit Plinius, alibi limus, alibi terra. Eſt & liquidum pingue, coloris oleacei, vis eius quę ſulfuris. Ex quo licet intelligere, quod non adeò diuerſa eſt bituminis & ſulfuris generatio & facultas. Imo ſunt qui per pinguẽ ſulfuris portionẽ napthen vocant, nã origine, colore, odore, potẽtia ſulfur & bitumen parum diſtare videntur. Eiuſmodi erat medicamentum Medeæ, ex ſulfure & humido conſtans bitumine, quod & teſtatur Gal.

Quod odore. Odor anceps nota, ſecũdũ Sauonarolam l. de balineis quia de cœlo tacta ſulfur obolent, quum nihil habeant ſulfureum. Sed quid prohibet ſulfureum aliquod in nube gigni, in qua etiam lapis generatur, præſertim quũ exhalatio ſit ſulfuris materia, hinc fit, quod fulmina & fulgura ſulfuris odorem habent, ac lux ipſa eorum ſulfurea eſt, vt prodidit Plin. 25. nat. hiſt. Aliæ

notæ

notæ ſunt flamma è fonte exiliens, quæ craſſa & virens eſt. Quoniam verò vix aqua reſtinguitur, naptha non vacare ſpecus ſimilius veri eſt. Maltha flagrans aquis etiam accenditur, terra tantùm extingui docuere experimenta. Plin. lib. 2. Accedit quod in ſŏlum facile tranſiliant flammæ, igne comminus admoto, ergo ſŏlum nō caret ſulfure aut naptha. Sulfure, inquit Plinius, neq; alia res facilius accenditur. Et de naptha Dioſc. Vis ei ignium rapax. Qua ferunt, vt ſcribit Plin. à Medea pellicem crematam, poſtquã ſacrificatura ad aras acceſſerat, corona igne rapta.

Vt vernaculam. Exhalationum intra terram generationem non prohibet terræ opacitas, & ſoliditas, nam quamuis illa luminis intra terram impediat diffuſionem, non tamen caloris. Qui lumine productus, eo penetrabilior eſt, vt qui penitiores, interioresq́; terræ partes ſua virtute ſubit, exhalationesq́; adiuuantibus igneis, quæ inibi plurima ſunt corporibus ſuſtollit. Inde ſequitur, diffuſum à luce calorem eò poſſe pertingere, quo lux ipſa non peruenit. Quod 3. aduerſus aſtrolog. Picus adnotauit.

Calore natam. Spirationum effectrix cauſa Sol & Aſtra. frigiditas enim non leuat ſed deprimit, condenſatq́; & ad grauiorum naturam imparat. Ignis verò elementalis agere in mediam aëris regionem propinquam nequit,ergo multo minus in diſtantia inferiora poteſt.

Igneæ naturæ cognata. Tranſmutatio facilis eſt eorum,quæ adinuicem ſymbolum habent: non habentium verò difficilis atque tarda, vt docet Ariſtot. Veruntamen omnino ſymbola non inuicem agunt,vt tranſmutentur, quia omnis actio à contrario eſt, vt anteà dictum iam eſt. Sunt autem omnino ſymbola,quæ qualitate,quantitatisq́; quantitate,ſiue gradu,ſimilia exiſtunt.

Succuſſa verſionib. Ignis eruptio ex vehementi colliſione exhalationis ad latera ſpeleæ cõtingit, quæ excitat incẽdium,ſicut in nube,quum fit coruſcatio. Vel exhalatio inflammatur aucto per antiperiſtaſim à riuulo calore. Ex eadem etiam colliſione fit, vt magno cum murmure flamma exiliat, & latens in ſpecu mugiat.fiunt enim in terrarum voratrinis interdum motus, qui veluti taurinis roboare mugitibus audiuntur.

Quos

Quos μυκματικοὺς Philogræci nuncupant, & Mycetiam, vt ſcribit Apuleius. De qua ſic refert in Coſmographia. Mycetia vocatur tetri odoris inquietudo terrena. Audiuntur mugitus interioribus gemitibus expreſſis. Quum ſpiritus inualidus ad terram mouendam, per aperta telluris inuentis itineribus fertur.

Per eundem cum aqua. Exhalatio molitur, vt in naturalem ſuum feratur locum. Verùm per anguſtos terræ poros, tanta exhalatio proſilire nequit. Quamobrē neceſſum eſt, vt per eoſdem cum aqua tubos inflammata euolet, vel viam ſibi aperiat in debiliore ſpecus parte, qua exeat.

In conualle & ſecundum amnem. Aggregantur in conualle, & ad perpendiculum accedunt ſolis radij. Eoq́; conuallis aër calidus cenſetur. Niſi ſit quod impediat, vti eſt amnis frigidus, qui perpetuò decurrens aërem refrigerare poteſt, exhalationisq́; feruorem in ſpelea intendere.

SCHOLIA IN SECVNDAM AMBIGVITATEM.

Strangulari quoque debet. Ignis ſubiectum

ſorſitam eſt, vel fumus vel carbo,vt ait Ariſtotel.2.de par.animal. Vnde eius non vna ſpecies,nam diuerſum eſt carbo,& flamma, & lux ſpecie,vt idem teſtatur 5.top.Eſt itaq; ſpiritus ignis alimentum. Quamobrem ſpiritu priuatus minime queat viuere. Quod l.de flatib. aſſerit Hipp. Non igitur mirum quòd plurima ignem extingunt ligna iniecta. Haud ſecus quàm inſitus in plantis aut animalibus calor, extra modum craſsis & pinguib. Quum enim auram trahere nequeant, nec vllo pacto ſpiritu vti poſſunt, illa ſtrangulantur, vt Theophraſtus refert quinto de ca.plant. Cui Galenus ſuffragatur 1.aph. comm.3. Noſſe præterea ad hæc oportet numeroſas ſcilicet eſſe ignis facultates ex materia ſubiecta,vt Plutarchus declarat 3.ſympoſ.

Aduerſus amnem reſurgit.Hoc ſatis arguere videtur ſpecus eſſe ſulſureum,bituminoſumq́;. Vnde accenſa conſurgit exhalatio, in quam vix vnda penetrare poteſt, nam Maltha fragrans aquis etiam accẽditur, teſte Plinio. Et ignem mõtis Chimeræ accendi aqua, Gnidius Cteſias tradit. At cauſa eiuſmodi euentus, à ſola(ni fallor) antiperiſtaſi

ſtaſi ducenda eſt. Quum enim ardentior fuerit ignis, à frigido incitatur, & ab humido alitur, quorum vtrunque aquæ ineſt.

SCHOLIA IN TERTIAM AMBIGVITATEM.

Deeſt exhalatio. Si materialem oſtenderimus cauſam abeſſe, interimentes effectũ erimus. Iuxta illud Ariſtotel. 2. phyſ. vbi deſit materia non fit effectus. Atqui flammæ materia & fomes, eſt exhalatio, vt antè oſtẽſum eſt. Flamma eſt enim ſicci ſpiritus ardor, primo & quarto Meteo. vt qui videtur lignis accenſis fumus ardens. Itaque fumus lignorum exhalatio inibi dicitur. Sed exhalationem Hippocrates aërem videtur appellare, lib. de flatib. Ventus inquit aëris fluxus eſt, fuſioq;. Cui ſubſcribit Galenus, lib. de vſu pul. flamma inquiens aër eſt accenſus, vt carbo terra.

Paſtusq; deſit. Sciendum autem quòd flãma non alitur, neque manet eadem ſed cõtinenter fit vna, vt ſentit Ariſtot. 2. Meteo. Itaque omnis flamma duplici moueri motu videtur, vt libro de vſu reſp. Galenus explanat. Altero à materia ex qua accendi-

tur, per quem maximè ſurſum fertur, & vndiquaque diſpergitur. Altero huic contrario ad ſui principium ac veluti radices vergente, per quem conſidit, & contrahitur, ſiquidem quum omnis flãma celerrimè corrumpatur. Ob id neceſſarium eſt, velociſſimam eius eſſe generationem. Atqui generatio vnuſcuiuſq; flammæ, eſt ex ſubiecta materia accendi. Quæ ſit de genere vſtibilium. Sunt autem vſtibilia ſecundum Ariſtotelem quarto Meteo. quæ poros habent ignis ſuſceptiuos ſecundum directum, & humiditatem igne debiliorem.

Proinde aboletur. Flammæ vt animalia aëre priuata extinguntur, quemadmodum indicant ſicyæ medicinales, vndiq; circumpoſitæ. Quia verò minor calor à maiori abſumitur, quod aſſerit Ariſt. 24 problem. ideo in ſolis ardoribus, & balneis extinguũtur, alimenti ſcilicet quod à calore maiori abſumitur, inopia. Extinguntur etiam frigoribus excellentib. & vehementer ventilatę, & materiæ multitudine obrutæ. Augentur contrà ac roborantur à moderato frigore, & ſi moderatè ventilatæ, & commoderato nutritæ alimento.

Aqua

Aqua verò perpetuò. Fontes æqua ſemper menſura effluere videntur, quibus vaporum ſucceſſio perpetua eſt. Perpetua autem erit, ſi ſcatebræ forinſecum per poros exiccantem aërem non admittant. Nam quæ aërem externum recipiunt, in ipſis aquæ per æſtatem minuuntur, interdumq́; penitus deficiunt.

Subterfluit. Quum aquarum natura ſit ad imam partem deferri, oportet fontis originem in ſuperiore loco eſſe, & ſcatebram in decliui. Ob idq́; pronunciant campos & planities, vt plurimum fontibus carere. Et ſi quæ aquæ in campis reperiuntur, magna ex parte ſalſæ ſunt. Quia ex aquis quod tenuiſſimum ac leuiſſimum eſt, Sol campos per totam diem occupans, attrahit. Similiq́; ex cauſa mare ſalſum eſſe fertur. Iam fontes ad ſui ortus libramentum ſcandere poſſunt. Interdumq́; ne in natura vacuum relinquatur, altius efferuntur. Hac forſan ratione, in plano inacceſſi montis vertice (quod alterum dalphinatus miraculum perhibetur) fõs ſcaturit, cuius aqua in ſubterraneis nata perrimoſas vias & venas in ſublime fertur.

Siue aliunde. Aqua fontis eſt alienigena,

ſiqui

ſiquidem exhalationis calor, qui in ſpecu adeſt tanquàm vernaculus, algorem corrumperet,vaporesq́; conſumeret,ex quibus cauſis ſolet aqua in fontium origine naſci, perq́; ſtillas augeri.

SCHOLIA IN QVARTAM AMBIGVITATEM.

Feruida non eſt. Aqua quum natura frigida ſit, percalefacta diutius permanere non poteſt,ſed breui ſpatio ad ſuam naturam reducitur. Itaque non niſi calidis immixta corpuſculis,vt pote, vaporibus aut exhalationibus, efferueſcere poteſt.Proinde aqua pura non calefit,ſicut nec aër purus infrigidatur,vt ſcitè Auer.diſſerit 2.de animal.cõ. 115. Verùm vnumquodq; elementorum inuenitur non purum,non ſimplex,vt Ariſto. autumat, 2.de g.& cor.Certè elementa ſingula in ſuis vniuerſis partibus ſincera non ſunt.Attamen in quibuſdam particulis pura inueniri poſſe opinantur Aliabbas & Conſtantinus primo theor.Ex his cauſa pateſcit,cur aqua in lebete ebulliens in fundo frigida ſentitur, nimirum quia inibi pura.

Feruent & ebulliunt. Aqua quia in excellentia

lentia frigida eſt. 2. de g.& cor. calorem ab igne tantum in excellentia calido nanciſcitur. Vt 2. de balneis narrat Sauonarola. Secundũ quem Thermæ feruẽt, quòd in imo ignis per foſſilia acceſſa excitatur. Itaque Empedocles apud Senecam 3. nat. quæſtionum, exiſtimat, ignibus, quos multis locis terra opertos tegit, aquam caleſcere, ſi ſubiecti ſint ſõlo, per quod aquis tranſcurſus eſt. Eſt etiam in confeſſo, aquas calorem beneficio materiæ per quam fluunt, trahere, quod ipſo odore, guſtuq́; teſtantur, vt

Sulfuris in venas gelidus quum decidit amnis.

Quum exhalationis. Thermæ medicas vires habere videntur, à terris per quas fluunt vt ſentit Vitrinius, aut propter locorum peculiares naturas, & cœlum, quod de aquis innuit Dioſcorides. Vnde thermarum quędam ſunt, vt Claudianus cecinit.

Publica morborum requies, commune Medentum
Auxilium: præſens numen, inempta ſalus.
Amiſſum lymphis reparant impune vigorem,
Placaturq́; Aegro luxuriante, dolor.

AD

AD PERCELEBREM VIRVM DOMINVM HIERONYmum Apollinis & Muſarum delitias.

*

Si mihi muſa nouas vires præſtaret vt olim
Vir capitolino conciliate Ioui,
Te canerem, & quanto laudes decet ore leuarem,
Colligeres animi pignora multa mei.
Aſpiceres noſtro tua præmia ſcripta cothurno,
Præmia magnanimis inuidioſa viris.
Nam quamuis ſolitum renuat mihi Apollo fauorẽ,
Aſt fueram Clarij pars ego magna iugi.
Nunc quia ſors miſero noſtra eſt mutata dolore,
Heu mea phœbeus deſerit oſſa vigor
Da mihi grãdiloquum doctor facunde Maronem,
Deficiet tantis mens ſtupefacta malis.
Nulla mihi requies, menti non gaudia noſtræ
Sed ſemper queruli cauſa doloris ineſt.
A cunctis linquor, non viribus alleuor vllis,
Noſtra nec aſſuetus nunc iuuat ora cibus.
Nã mihi quod quondã veſtra vrbs promiſerat ore,
Denegat, atque datam non tenet illa fidem.
Eſt nihil hîc lucri, ſunt præmia nulla laborum,
Nullus honor doctis hac datur vrbe viris.

Quo

Quo ſit vt in nullo vir ſit facundus honore,
Et neget officium Calliopea ſuum.
Quantumcunque tamen præconia noſtra valebunt,
Extollent laudes ſemper ad aſtra tuas.
Nam tibi quum mores tribuit natura pudicos,
Protinus eximium fecit habere decus.
Nullus in vrbe tibi ſimilis, nec maior in orbe
Eſſe poteſt, aliquam vis ſi adhibere fidem.
Doctus Apollinea tibi cedit in arte Machaon,
Et medica Clarium vincis in arte deum.
Hoc certe talpæq́; vident, lapidesq́; loquuntur,
Hoc & ad ignotos peruenit antipodas.
Adde quòd Aonij decus es venerabile fontis,
Permanet & labris ſuada diſerta tuis.
Attica perpetuum ſeruat tibi Pallas honorem,
Lingua Meduſæo tota lepore madet.
Ἑπτὰ σόφος memorant, ſed ſi tu forte fuiſſes
Cognitus antiquis partibus, octo forent.
Ipſe meam doleo ſortem, quòd fata negarunt
Hei mihi amicitiæ pignus habere tuæ.
Nam melius poteram vir ter facunde valere,
Hoc mihi nil tota carius eſſet humo.
Sed quia non viſum eſt Superis ita ferre dolorem.
Me decet, & pœnas ſuſtinuiſſe graues.
Id feciſſe quidem poteram, ſed amice timebam
Eſſe ego triſtitiæ maxima cauſa tuæ.

Et

Et quamuis habeat non res ita, amice, verebar
Attamen ingenio poſſe nocere tuo
Muſa modò reſercit noſtrum tibi pectus, amorem
Dicit, & ipſe tuo læſus amore gemo.
Nulla tui noſtrum capient obliuia pectus
Donec arenoſis ranula viuet aquis.

VALE.

DE ADMIRAN-
DIS FACVLTA-
TIBVS,

*

Quarum cauſæ latentes, cæcæq́; , ac pleriſq; omnibus ignotæ ſunt, centuriæ duæ cum aliquot decurijs.

Autore D. H. Montuo, Regiæ ualetudinis aſſertore, & à conſilijs.

LVGDVNI,
APVD IOAN. TORNAESIVM,
ET GVLIEL. GAZEIVM.
M. D. LVI.

Cum priuilegio Regis.

AD LECTOREM
I. T. F.

NE *mirere, rogo, ſi noſter Montuus hic ſit*
Excellens artis doctor Apollineæ:
Ne've quòd in phyſicis dicatur nulli ſecundus
Vtpote naturæ quem abdita nulla latent.
Huic ſiquidem Phœbus vaſtũ dum viſeret æthra
Artis quicquid erat tradidit eximium:
Huic & Ariſtotelis mẽs eſt data munere diuûm,
Dignior in toto quòd foret orbe nemo.
Hic igitur nobis mortalibus alter Apollo
Eſt, atque in Phyſicis alter Ariſtoteles.

HIERONYMVS MONTVVS

*

D. IOANNI CAPELLAE PHILOSOPHO, MEdico, *Chriſtianiſsimiq; Regis conſiliario, Collegæ ſuo. S. P.*

NVNC nuper dum libros aliquot obſoletos à noſtra bibliothcca ſeparo, ne deinceps Mulis portitoribus, ſiue clitellarijs noſtris eſſent oneri, vnum de iuuenilibus noſtris opuſculum reperi. Quod olim Adoleſcens ex veterum philoſophorum monumentis collegeram. De his ſcilicet naturæ operibus, quæ admirationi eſſe ſolent. Quoniam horum de cauſa non liquet. Idcirco opuſculum ad te mito. Vt quæ illud continet ſingula nos ſcire facias. Nam ſcire nihil aliud eſſe vult Ariſtoteles quàm rem per cauſas intelligere. Tu autem tam egregiam ſortitus es indolem, vt ad omnes doctrinas ſis aptus, tam fœlix ingenium, vt ob-

ſcuras ac abditas rerum cauſas,vel in tranſitu poſſis rapere. Etſi verò omnes homines ἀλφηστὰς tuus vocet Homerus,conſtat tamẽ non omnes pariter eſſe inuẽtiuos, ingenioſos'ue. Nec te pudeat id muneris ſubire, ſiquidem ſapientis eſt circa ſciẽtiam omnem cauſas aſſignare, ſi Ariſtoteli creditur. Eſtq́; Platoni Magiæ peritus Δαιμόνιος, id eſt, fœlix & ſapiens.Et meritò,quandoquidem naturalis magia eſſe videtur facultatum rerum naturæ non ſolùm manifeſtarum,ſed etiam occultarum cognitio. Huic illud Poëtæ,

Fœlix qui potuit rerum cognoſcere cauſas.

Tu ergo quod nunquàm non facis, ſequere Muſas,quas à Μῶσθαι, quod inquirere ſignificat dictas eſſe ferunt. Tenes ſat ſcio, quod ille inquit.

Qui monet vt facias, quod iam facis, ille monendo
Laudat, & hortatu comprobat acta ſuo.

Nec alia ratione orſi ſunt philoſophi, quàm admiratione duce,philoſophari. Vale Baſilice apud Turones 19. Martij.

DE

DE ADMIRANDIS FACVLTATIBVS QVARVM CAVSAE ABDITAE SVNT,

*

CENTVRIA PRIMA.

SOLVS animalium homo oratione vtitur, vt ſentire videtur Ariſtoteles cùm in Politicis, tùm quinto de ge. animal. 1

AN quòd ſermo ortum habeat à mente, & non ex mente, vt teſtatur Galenus. Itaque vt ratione voluit prouidentia hominem à cæteris ſecerni animalibus, ita & loquendi vſu ab iiſdem ſegregauit, ſic vt non minus animal τὸ λογικὸν, *ſiue locutorium homo ſit, quàm rationale. Locutio etiam nihil aliud eſſe videtur, quàm rationis quædam praxis, ex anima ad extremum auditus ſenſum deducta. Quæ in hoc data eſt nobis, vt oſtendamus vtilitatem & damnum, atque ita, iuſtum*

& iniuſtum. Rectè igitur Iſocrates retur, quod oratione potiſsimum, homo cæteris animalibus præſtat. Iſtis aduerſa videntur, quòd Elephantes inter ſe loqui Opianus affirmat. Et Philoſtratus ſuas ſubmiſſo barritu deplorare miſerias. Apud quem Apollonius brutorum locutionem intellexiſſe fertur. Accedit huc, quod Galenus poſt Fauorinum tenet, omnia bruta rationalia eſſe, ſed homo ſolus ideo dicitur rationalis, quòd ratione cæteris animalibus antecellat. Cognationum intellectus Equis eſt, quod probat Plinius. Tradunt etiam Philon & Porphyrius beſtias non ſermonis modò, verùm cuiuſdam etiam ſermonis ſeu locutionis eſſe participes. Gyllius quoque noſter, Elephantum rectè & ordine in tabula Latinas literas ſcripſiſſe aſſeuerat tanquàm teſtis oculatus. Meminit inſuper Aelianus de Ceruo à Philadelpho ita educato, vt græcæ linguæ ſono inſueſceret, intelligeretq́;. Et Cteſias ſuſias boues numerandi ſcientiam tenere ſcribit. Prætereo volucres pleraſque, quæ humanam proferunt locutionem, vt coruos & pſittacos.

Picasq́; docuit noſtra verba ſonare
Magiſter artis, ingeniјq́; largitor
Venter.

Verùm vt volucres propriè non loquuntur, quia non intelligunt quæ pronunciant, pariter nec reli-

qua

qua bruta ſermocinantur. Quoniam verò cùm iocundi tum moleſti bruta ſenſum habent, ea vocem habere neceſſe eſt. Quæ moleſti atque iocundi ſignificatio ſit, ex quo colloqui videntur, quum ſuas voces (vt inquit Lactantius) proprijs inter ſe notis diſcernunt, atque dignoſcunt. Sues vbi offenſi gruniunt. Alij ad læſum currunt. Sermonem igitur homo, ſolus animalium obtinet, quòd ſolus rationalem habeat animam. Bruta verò vocis & locutionis organis non apparent eſſe priuata, ſed quia mente carent, ideò muta ſunt & vocalia. Vnde conſtat non eandem eſſe rem, vocem & loquelam. Atque aliam eſſe hominis, & aliam brutorum animam. Nec fruſtra ſunt loquelæ in brutis organa, veluti lingua, dentes, labra, narium foramina, palatum, gurgulio, mediocreq́; ipſius linguæ vinculum. Nam ad alias etiam actiones conferre videntur.

Solus inter animalia riſibilis homo, vt idem autumat cui aſtipulatur Porphyrius, riſibile inquiens propriè proprium hominis dicitur quia cum eo conuertitur. 2

Riſus eſt hominis proprietas ſpeciei ſuæ formam inſequens, vt ſcribit Moſes 7. apho. Nec Galeno de cauſa ſatis liquet, cur titillatio ridere faciat, titillamur autem ſub alis, in manuum volis,

pedum plantis,ſeu veſtigijs,maximeq; labris. Ariſtoteles 3.de partib.de ſepto tranſuerſo agens,hanc partem inquit calefactam celeriter ſenſum aperire indicat, vel id, quod titillatu euenit. Rident enim celeriter qui titillantur, quia motus celeriter ad eum locum perueniat. Qui quanquam leuiter calefaciat, tamen aperit & mentem mouet præter voluntatem. Cauſæ autem cur homo Animalium vnus titilletur, & cutis tenuitas eſt, & quod ſolus omnium animalium rideat. Eſt enim titillatio riſus per huiuſmodi motum partis, quæ alam complet. Ictu etiam traiecta præcordia in prelijs riſum attuliſſe proditum eſt, ſcilicet calore quem moueat vulnus. hactenus Ariſtoteles. Sunt qui admirationem inter riſus cauſas adnumerent. palumbæ noctu ignem ad Aucupium poſitum conſpicientes miratæ ſic ſtupent, vt vel manibus capiantur. Admirantur & cerui,vt tradit Plinius. Videmus etiam cutis tenuitatem quibuſdam ineſſe brutis vt auibus pleriſque omnibus, & Cecropitetis. Quæ nec titillatu rident, quia animo carent,cuius riſus ex re iocunda motus eſt ad conceptum gaudium explicandum, de quo plura Nicolus ſermone 1.

Pluria de riſu doctiſ.Fracaſtorius & Variola doctis in ſuis enarrationib⁹ ſcripſere.

3 Auditus cui hominum primo negatus eſt, huic & ſermonis vſus ablatus, ex Ariſtote

ſtotele & Plinio.

Sunt qui auditum viſu præſtare contendant contra Ariſtotelem, cui tamen auditus diſciplinæ ſenſus eſt. Eoq; ſurdi ab ortu naturæ muti ſunt. Quoniam quæ nunquàm audierunt, hæc fari nequeunt. Itaque par idem neruorum eſt, cuius pars altera ad linguam, altera ad aures vſque porrigitur. Atque ita neceſſe eſt, communem accidere affectionẽ. Verùm mutos fieri, qui ex morbo ſurdeſcunt ſcitè negat Aphrodiſeus, propterea quòd pars altera tantùm, quæ ſcilicet audiendi officio delegata eſt, ſuas vires amiſerit. Et mutos quoque eadem ex cauſa, non etiam ſurdos reddi affirmat, videlicet quod alterius nerui linguæ accommodati læſio eſt.

Mulieres quæ in nauibus pariunt, mutos parturire affirmat Soranus. 4

Sic piſces omnes muti ſunt, cùm ob alias cauſas, tùm ex natalis loci proprietate. Non diſsimilem vim habere videtur in Claromontis caſtro turris, in qua quotquot nati fuere barones, omnes mutos fuiſſe haud dubium eſt. Iam ſi piſces audiant, vt aſſerit Plinius, nõ ſolùm in aëre fit auditio, ſed ſub aquis etiam. Conſtat tamen aërem (ex cuius colliſione, vel fractione ſonus oritur) non niſi violenter impulſum in aquas penetrare poſſe, quum ſit

aqua leuior. Tametſi contrarium & Hippocrates & Plinius innuere videantur.

5 Si qua quædam in fœtum tranſire videntur, earum rerum quæ matres dum vtero geſtarent auidiſſimè appetiuerunt. Eaq; in capite puerorum editorum malaciæ ſigna comparent. Quod Hippocrates non prætermiſit lib. de ſuperfœt.

Adeò mirabiles ſunt imaginationis vires, vt non modò corpus proprium, ſed etiam alienum afficiant, quod demonſtrat Auic. 6. parte natural. ſic prægnantis cupiditas inficit fœtum in aluo, rei deſideratæ nota, ſic nonnullis ſtupent dentes & aſpectu aliquo, & auditu. huc referunt D. Franciſci ſtigmata, & Cyppi Italiæ regis cornua.

6 In Africa familias quaſdam Effaſcinantiũ Iſodorus & Nymphodorus tradunt. Quarum laudatione intereant probata.

8 Eſſe generis eiuſdem in Triballis & illiricis adijcit Iſogonus, qui viſu quoque effaſcinentur, interimantq; quos diutius intueantur, iratis præcipuè oculis, ex Plinio & Plutarcho.

Veſtigium & ſemitam inueniet cauſæ, qui ad corporum effluuia perrexerit. Quando vox, odor, & emanans ſpiratio, quidam ſunt animalium halitus.

litus. Nec his reclamat quod ſecundum Plutarchum in animi affectionibus faſcinatio cenſeatur.

Lupus ex homine quî fiat 8.de rep. Platonis, & apud Plinium Demarchus. 8

Herodotus quoque in Melpomene lupos ex hominibus fieri narrat. Plinius item homines in lupos verti, rurſumq; reſtitui ſcripſit.

Equas inſuper ex hominibus fieri haud eſſe fabuloſum D. aſſerit Auguſtinus. 9

Conſtat nimirum ex animalibus & plantis quædam tranſmutari in alia, vt Eruca in muſcã. Erucæ fici in cantharides. Hydrum in viperam. Quædam certis temporibus transformari videntur, veluti Accipiter & Vpupa inuicem tranſformantur. Erithacos & phœnicuri æſtiui. Ficedulæ & Melancoryphi, vt Zoroaſtes apud Florentinum tradit, vt omittam quod ex vermibus generantur culices, ex equo veſpæ, ex vitulo & boue Apes, ex cancro ſcorpius, ex anate ranæ, ex bruco locuſta, ex bombice papilo, hinc Vrſinus de locuſta.

Nuper brucus eram, ſed vbi iam corpore creui
Si modò non errant ſcripta, locuſta vocor.
Arceo quartanos collo geſtata rigores
Nuncia & omniuoræ ſum numeroſa luis.

De bombice rurſus.

Non

Non mihi ſed vobis bombex mea ſtamina duco.
Sic vos non vobis vellera fertis oues.
Me mea cura necat, ſed rurſus morte reſurgo,
Et fio volucris, qui modò vermis eram.

Itaque per morbos, perq́; ætatum decurſus euidens fit hominum metamorphoſis, vtpote, infantis in iuuenem, huius item in decrepitum, & inde ortum ſuſpicor Sphingis enigma. Quodnam animal bipes, idem tripes, ac quadrupes foret. Oedipus hominem eſſe aſſeruit, de quo Auſonius.

Illa etiam thalamos per tertia enigmata quærens
Qui bipes et quadrupes foret, et tripes omnia ſolus.
Terruit Aoniam volucris, leo, virgo, triformis
Sphinx: volucris pennis, pedibus fera, fronte puella.

Auguſtinus præterea, quod memoratu ſcituq́; dignum eſt, viatores refert à mulieribus quibuſdam ſtabularijs in iumenta præſtigijs magicis deformatos fuiſſe, & onera baiulaſſe. In quibus tamen non mens fuerat brutalis, ſed rationalis, humanaq́; ſeruaretur, ſicut Apuleius in libris de Aſino aureo ſibi ipſi accidiſſe, vt accepto veneno, humano animo permanente Aſinus fieret, aut indicauit, aut finxit, huc pertinet quod Vergilius cecinit,

Quos hominum ex facie dea ſæua potētibus herbis
Induerat Circe in vultus & terga ferarum.

Idem

Idem de Mœris herbis.

His ego ſæpe lupum fieri & ſe condere ſyluis
Mœrim.

Centauros vnquàm fuiſſe(quæ Pindari ſententia eſt) Galenus non credit. At eos fuiſſe conſtat ex Onocentauro, vt Aelianus opinatur. 10

Viros Indorum, inquit Plinius quoſdam cum feris coïre, miſtosq; & ſemiferos eſſe partus. Apollonius apud Philoſtratum ſatyrum ſalacem coarguit. vnus Diuo Antonio locutus eſt, vt D. refert Hieronymus. Vidit etiam Volaterranus puellam, quæ ex canis concubitu ſemicanem peperit.

Haud ſemper verum, quod aiunt nata ex ſpeciebus diuerſis non gignere in omni animalium genere, nam Mulæ (quæ ex equo & aſina gignuntur vulgo pariunt in Capadocia, quod in Italia Erodotus dicit, idq; atteſtatur Theophraſtus. 11

At genus Mulorum totum ſterile eſt, vt cenſet Plutarchus 5. de plac. De cuius rei cauſa taxantur Empedocles & Democritus ab Ariſtotele 2. de g. animal. 12

Apium lactantibus malum. Malefica ſiquidem proprietate epilepſiam excitare teſtantur Plinius, Trallianus, Auicenna, 13

Meſ

Meſue, Sethus.

14 Pueri braſsicam veſcentes citius augeſcunt, ſi Catoni & Florentino creditur.

15 Si qui morbi hominibus acciderint Florente Aproxi. quantumuis ſanati admonitionem eorum ſentiunt, quoties illam florere contigerit, vt ex Pythagora tradit Plinius.

16 Tradit præterea & formentum & cicutam & violam ſimilem conditionē habere.

17 Proximum eſt quod aiunt fabis florentibus tunc potiſſimùm inſanire, & furere eos, qui melancholici, aut maniæ obnoxij ſunt.

Sanè Pythagoras à fabis abſtinuiſſe fertur. Quoniam vt Plutarchus ait, animi tranquillitatem turbant, earumq́; flores ſtultitiam parere dicūtur.

18 Aproxis herbæ radix è longinquo attrahit ignem vt naptha. Agri. magnam igitur cum igne ſympathiam habet.

19 Plantæ ſic cum aëre conueniunt, vt niſi ſub diuo non pullulent, neque coaleſcant. Idem.

20 Si quis à cane rabido aliàs demorſus iacuerit ſub ſorbo arbore, in rabiem verti ſolet, perinde ac ſi ſopitam rabiem excitaret

ret ſorbus. Idem.

Tactus etiam ſcopæ vel arbuſti rabiem ſuſcitat conſopitam. Idem. 21

Canes rabidi quæ momorderint animalia, omnia rabiunt prius homine. Autor Ariſtoteles. 22

Rabies canum ſirio ardente homini peſtifera, ita morſis lethalis aquæ metus. Plin. 23

Hydrophobi non ſolùm aquas metuunt, ſed corpora etiam omnia diaphana, & lucida. Gal. & Raze. 24

Commorſi aquas metuunt, inquit Razes propterea quòd naturalis eorum craſis in diſcraſiam ſiccam & æqualem commutata eſt, ſicq; humida faſtidiunt, tanquàm contraria, & ſicca appetunt tanquàm ſimilia. Quæ ratio ſi vera eſſet hydropholtos eſſe oporteret cùm hecticos, tùm vniuerſos qui maraſmo conflictantur. Cauſa igitur referenda potius eſſe videtur ad melancholici humoris in rabientibus geniti proprietatem. Caßius hydrophobiam ventriculi affectum eſſe retur.

Mirum hydrophobię remedium, ſupponere calici lacinia menſtruo tincta. Agri. 25

Mirãdum etiam quod in hygrophoborum lotio apparẽt canini catuli, vt Auenz. & Aſaharanius aſſerunt. 26

Viro

27 Virorum cadauera fluitare ſupina ; fœminarum prona, pudori earum parcente natura, vt retur Plinius, vel potius, quòd antica mulierum poſticis longe ſint ponderoſiora, vteri reſpectu & mammarum.

28 Cadauera ſtillant cruorem, quum ad ea accedit Autor cædis, cauſam explicant Ficinus, Rhod. & Campeg. noſter.

29 Cadauera in aquis merſa tertio vel quarto die attolluntur, quum ſcilicet putredinem ſentiunt, putredo enim corpora leuiora facit, quod calorem adiunctum habeat.

30 Tranſiens locum in quo homo occiſus fuerit, vel cadauer recens abſconditum, pauore afficitur. Agric. An quòd aër homicidij vaporibus, & ſpeciebus infectus inſpiratur, & perinde hominem alterat, perturbatq́;.

31 Abſentes tinnitu aurium præſentire ſermones de ſe, receptum eſt. Plinius.

32 Aſſidere grauidis, vel quum remedium alicui adhibetur, digitis pectinatim inter ſe amplexis veneficium eſt, idq́; compertum tradũt Alcmena Herculem pariente. Idẽ.

33 Peius ait ſi circa vnum ambo'ue genua, item poplites alternis genibus imponi.

Ferre

Ferre in ſinum viuum leporem ad faci- 34
lem partum facit. Philoſtratus.

Obſeruatum veteribus, leporis occur- 35
ſum in itinere ominoſum quippiam, inau-
ſpicatum atque improſperum præſagire.
Rhodog.

Aiunt etiam quòd ex leporino cibo con 36
ciliatur corpori gratia. Hinc extant de Se-
uero verſiculi, quos adnectam.

Pulchrum quod vides eſſe noſtrum Regem
Quem ſyrum ſua detulit propago
Venatus facit, & lepus comeſus
Ex quo continuum capit leporem.

An quòd ſplendore conciliatur corpori gratia? Atqui ſanguis ſplendidus melancholicus eſt.

Non æſtuant qui duos è pulegio ſurculos 37
impoſitos auribus in ſole habent. Plinius.

Coëuntes ad prolem, plerunq; vultus, 38
quos ipſi tunc vel agunt, vel imaginantur,
ſolent naſcituris filijs imprimere. Agri.

Nullas duas in tot millibus hominum 39
indiſcretas facies exiſtere Plinius autumat.

Ratio petenda ab indiuidui diffinitione, in qua virtus, etiam quæ fœtum format, ſubaudienda eſt. Indiuidua enim dicuntur, quòd in plura diuidi non poſſunt, quæ eorum rationem participent. Ob id

ipſum quòd indiuiduum quodq́; ex proprietatibus conſiſtit, vt forma, loco, tempore, voce, progenitoribus, patria, nomine, & huiuſmodi, quarum congeriem nullus alius vnquàm participat. Et ſi qua non participat, in ea minime diuidi poteſt. Nihil enim in ea diuiditur, quibus ſuæ proprietates non cõueniunt, proprietates autẽ indiuiduorum ex accidentibus coaceruantur, ſpecierum verò non accidentia, ſed propria nominantur.

40 Riſus ante quadrageſimum diem nulli datur, teſte Plinio, apud quem quoſdam agelaſtos fuiſſe inuenies.

41 Eſt adeò mirabilis Chriſtianiſs. Galliarum Francorumq́; regis facultas, nam protinus vt delibutus eſt, diadematusq́; Iatrochœradicus efficitur, nempe ſtrumas non manſuetas modò, verùm maleficas etiam, & canceratas ſolo tactu perſanat.

Extat Laſcaris de Franciſco huius nominis primo, ſtrumoſos in hiſpania ſanante huiuſmodi epigramma.

Ergo manu admota ſanat Rex chœradas, eſtq́;
Captiuus ſuperis gratus, vt antè fuit.
Iudicio tali Regum ſanctiſsime, qui te
Arcent, inuiſos ſuſpicor eſſe deis.

42 Id genus miraculi credibile facit, quod refert

refert Plinius de Pyrrhi regis police. Quorundam inquit corporis partes, naſcuntur ad aliqua mirabiles ſicut Pyrrho Regi pollex in dextro pede, cuius tactu lienoſis medebatur.

Quorundam hominum tota corpora 43
proſunt, vt ex his familijs, quæ ſunt terrori ſerpentibus, tactu leuãt percuſſos, ſuccu'ue modico. Idem.

Sunt qui affirmant, immatura morte ra- 44
ptorum manu, ſtrumas, parotidasq́; gutture tacto ſanari. Agri.

Obſeruatum certè eſt inflammari vul- 45
nera ac morbos, ſuperuentu eorum, qui pedibus iter confecerunt, vt Plinius ait.

Rurſus aggrauantur inquit, vulnera in- 46
teruentu eorum, qui nunquàm fuerunt ſerpentum aut Canis dentibus læſi.

A ſcorpione aliquando percuſſi, nun- 47
quàm ſcabronibus poſteà, veſpis, apibus'ue feriuntur.

Minus ait miretur hoc, qui ſciat veſtem 48
à tineis non attingi, quæ fuerit in funere.

Columbas edentes illæſi à peſte perdu- 49
rant. Orus.

Miniſtri canem cicurãtes quum eſt mo- 50

riturus vtplurimum ſplenetici fiunt. Idem.

51 Quo tempore excreſcens aqua regionem inundat, Animæ morientes non deſerunt. Philoſtratus.

52 Quum ſtella canis exoritur Nilus exundat. Ælianus.

53 Eſt ſaltus, qui ad ſedandos amores mirè valet, huius meminit Strabo. lib. 10.

54 Cinclus ſeu Motacilla eſt amuletum carminis omnis & philotrũ. Ne dirus te vincat amor, ne fœmina mentem diripiat. Alciat.

55 Ex minima origine in maximam creſcunt magnitudinem Crocodilus, Strutio magna, & Elephantus. Ælianus.

56 Crocodilum ſi Ibidis penna tangas, immobilem reddes. Orus.

57 Struthocamelus ferrum concoquit. Cõcoquendi ſine delectu deuorata, mira natura, inquit Plinius & de gallinis Dioſ. calida ait natura præditæ ſunt argumento, quod deuoratum inſigne virus eliquent, & aridiſſima quæque ſemina conſumant.

58 Elephas furens ſtatim ad Arietis conſpectum mãſueſcit, à porcelli exhorreſcit grunitu, ſplendida veſte efferatur, ſicut Tauri punicea. Plutarch.

Taurus ferus ſi de caprifico, vel de ficu arbore ligetur, manſuetus reddetur. Idem. 59

Coluber nudum hominem timet, operimentis indutum proſequitur. Rhod. 60

Si ſerpentes fugis, non recta fugias, ſed diuerticulis flexionibusq́; beſtiæ curſum retardes. Ælianus. 61

Scorpius virgines lethali ictu ferit, vt Vitalis aſſerit. 62

A ſcorpio percuſſos aut vipera roſæ radix adalligata ſanat. 63

Si percuſſus à ſcorpione ſuper aſinum ſedeat ad caudam conuerſus, ſanabitur: & Aſinus torquebitur. 64

Vt ſcorpius non accedat ad iacentes auellanam lectulorum pedibus alligare iubet Plutarchus, hanc enim nucem negat à ſcorpio adiri. 65

Vina ſint ne diluta aqua, experiuntur hędera, nam ſi vas fiat ex eius ligno vina trãſfluunt & remanet aqua, ſi qua mixta fuerit, vel econuerſo, aqua effluit, & merum remanet. Plinius. 66

Vina in doliis occultam cum vinea ſympathiam habent, nam florẽtem in vite racemum ſentire videntur. Florentinus. 67

68 Abſtemius efficitur Clitorio quicunq; ſitim de fonte leuarit. Ouidius.

69 Floret in ipſo brumali die ſuſpenſa in tectis arentis herba pulegij. Plinius.

70 Sapientiſſima arborum morus, nouiſſima enim vrbanarum germinat. Nec niſi exacto frigore. Idem.

71 Pinus ex arboribus ſola exciſa, nullam ſobolem remittit.

72 Palma non cedit oneri nec intra flectitur, pandatur'ue, ſed contrà pondus reſurgit. Idcirco in ſignum victoriæ dabatur. Vt quæ præmentibus non cedat, ſed contrà pondus renitens fornicetur. Ex Ariſtotele, Theoph. Plutarcho, & Gellio.

73 Plantæ calidæ, vt tediferæ amant loca montuoſa, ventoſa, & frigida, exceſſus enim ſunt qui enecant, vt ſcribit Plutarchus.

74 Attamen cardamine, hydropiper, nymphea locis aquoſis naſci cõſueuerũt, quum vires ſortiantur longe diuerſas.

75 Balſamum alibi naſci natura quàm in Siria noluit ferè. Plinius & Strabo.

76 Apes vehementer eos oppugnare videntur, qui vncti ſunt. An quia infeſtantur olei odore, eſt enim oleum apibus infeſtum.

Theo

Theophraſto & Plutarcho teſtibus.

Aculeata non feriunt maluam habentes aut Altheam. Plinius. 77

Vnum animal hominem fulmen non ſemper extinguit, cætera ilico. Idem. 78

Ficus arbor fulmine ici negatur, vt neque phocæ corium, neque hyenæ, ex Plutarcho. Itaque fulminis miranda his verſibus Faber inſeruit, vir longè doctiſs. 79

Dura domat, damnum mollia nulla ferunt.
Intacto foculo ferrum conſumitur intus
Carne quidem ſana, oſſa incinerata cadunt.
Vtreq; conſumpto vinum ſine vaſe gelatur
Fulmine, vel ſano deperit vtre merum.
Forte die ſexta mox liquitur: hocq; caueto,
Aut furit epotans, aut ſua fata bibit.
Martia Romanæ princeps clariſsima gentis
Afflato partu in viſcere, viua manet
Et quæcunque tument inflato ventre veneno
Purgat & innocui corporis icta iacent.
Percuſſum vigilans moriens ſua lumina claudit
Apperit è ſomno, verſum & in oppoſitum eſt.
Cætera quum feriat viuentia, morte reſoluit:
Solus de tanto vulnere reſtat homo.
Laure manes ſe cura, tibi eſt contraria quercus
Bos maris intactus, & Iouis ales eunt.

80 Sputum rabidi canis homini ſolo contactu rabiem inducit. Gal.

81 Omnium imprimis ieiunam ſaliuã contra ſerpentes præſidio eſſe ait Plinius.

82 Saliuam ſiue ſputũ ieiuni hominis ſcorpioni & viperæ venenũ eſſe Gal. affirmat.

83 Si quem pœniteat ictus cominus, eminus'ue illati, & ſtatim expuat mediam in manum qua percuſſit, leuatur ilico percuſſus à pœna. Plinius.

84 Inſuper quidam, inquit, aggrauant ictus ante conatum, ſaliua ſimili modo in manu geſta.

85 Terra ſerpentem homine percuſſo non recipit amplius. Idem.

86 Equos & Aſinos linqui animo, buboſtriq́; affici, ſcribit Plutarchus, qui mala aut ficus dorſarij comportarint.

87 Si caſu equus lupi veſtigium conculcet, torpore compræhenditur. Ælianus.

88 Equa prægnans abortit, ſi in lupi veſtigia incidat. Plinius.

89 Equi lycoſpades pernices, animoſioresq́; ſunt, an propter morſum aut metum incuſſum inquirit Plutarchus, fortaſſis enim periculum euaſerunt, qui natura ſint veloces

&

& animoſi.

Equi dentes non caſtrati dormientis 90
ſub capite poſiti,inſomnia leuant. Razes.

Scobs dentis Hippopotami pota ſan- 91
guinem vndecunque fluentem ſiſtere perhibetur.

Gladius quo homo interfectus, optimus 92
eſt ad fræna lupata, ad calcaria, ad ſoleas Equorum, inde nanque Equi velociſſimi fiunt. Pictor.

Camelum Equus reformidat. Xeno- 93
phon.

Si eryngium capra ſumpſerit in ore, il- 94
la ſiſtitur, deinde reliquus grex omnis. Plutarchus.

Fugitiuo hirco ſi præcideris barbam de 95
integro non fugiet.

Echeneis piſciculus limaci magnæ ſimi- 96
lis, ruant venti licet, ſæuiant'ue procellæ, imperat furori, viresq́; tantas compeſcit,& cogit ſtare nauigia, nullo ſuo labore, non retinendo, aut alio modo quàm adhærendo. Ex Plinio, Plutarcho, & Gellio.

Veſpertilio oua Ciconiæ ſterilia efficit 97
ſolo contactu. hic torpore compræhenditur tactis Platani folijs.

98 Torpedo marina piſcatoris manum reddit torpidam per medium tridentem. Galenus.

99 Similis etiam facultas ineſt Heraclio lapidi, ferrum ſiquidem quod tetigerit ei adhæret, deinde ſi aliud, id quod primo tactum fuerit, tetigerit, ſimiliter vt primum illi inhærebit. Idem.

100 Vultur concipit flante borea ſine mare (in eius enim genere mas non reperitur) ſi Oro creditur, vel auſtro, ſi Florentino.

DE ADMIRANDIS FACVLTATIBVS QVARVM CAVSAE HAVD CONSPICVAE SVNT,

*

CENTVRIA SECVNDA.

1 VENTORVM flatus maritant atque fæcundant aues fœmelas. Plutarchus.

2 Conſtat in Luſitania equas fauonio flante obuerſas animalem concipere ſpiritum, partumq́; fieri & gigni velociſſimum, ex Plinio & Solino.

Augurium non eſt in homine timendi 3
mortem in ægritudine, quandiu oculorum
pupillæ imaginem reddant. Plinius.

Oculus inquit Galenus eſt organum lucidiſſimum, & quàm ſimillimum ſoli. Quare eum obſcurari in acutis morbis virium imbecillitatem ſignificat, viſiuæq́; facultatis interitum. Oculi certè ob natiuam puritatem atque nitorem, celerius quàm aliæ partes mutationem colorum indicant. Ob idq́; firmiſſimam nobis notitiam adferunt corporis affectionum, de quibus Hippo. primo prognoſticorum.

Ingenio præſignes eſſe plurimum iracun 4
dos, imbellesq́;, at graues, fortes, ſed indociles, obliuioſosq́;. Plato lib. de ſcient.

Hanc varietatem cœli defluuijs acceptam referre videtur Iulius Firmicus. Quædam inquit gentes ita à cœlo formatæ ſunt, vt propria ſint morum vnitate perſpicuæ. Quod exemplis aliquot declarat, ſed cauſa propinqua de principum partium temperamentis potius petenda eſt, ex quibus varietas morum conſurgit. Nempe quòd hi iracundi, alij mites, alij prudentes, nonnulli ſtulti euadunt, Quod apud Scythas philoſophus vnus extiterit, Athenis plurimi: rurſus in Abderite complures ſtulti, Athenis vix pauci vixerunt.

Neſc

5 Neſcio qua natale ſolum dulcedine cũctos.
Ducit & immemores non ſinit eſſe ſui.
Naſo.

An quod indiuidua ex proprietatibus conſiſtunt, in quarum numero eſt locus? Theophraſtus quoque Autor eſt, proprietates ex locorum fieri proprietate. Ex qua locus naturalis eſt ſui locati conſeruatiuus, vt ſcribit Ariſtoteles. tùm quòd à vacuo præſeruet, quod Fracaſtorius impenſe doctus adijcit. Itaque ex locorum varietate, vt inquit Hippocrates varios homines creari videmus. Quorum formam, moresq́; regionis naturam ſequi comperias.

6 Contingit ſæpenumero vt idem alibi fortunatior ſit, quàm vbi erat prius. Rhodog.

Cauſam Academici in genios referunt. An quod dyſcratis naturis loca ſimilia inſalubria ſunt, diſsimilia contra eos bene afficiunt, vt docet Gal. Ex quo liquet vtiliſsimum quandoq; eſſe, terram commutare connutrientem. Quod in prolixis paſſionibus iuſsit Hippocrates. Tranſitus itaque mirum in modum mitigat arbores etiam ſylueſtres. ſiue arborum quoque vt hominum natura nouitatis ac peregrinationis auida eſt, ſiue vt refert Plinius, diſcedentes virus relinquunt, manſueſcuntq́; tractu.

Nullum

Nullum animal marino fœcunditate par. 7
vnde Venus orta mari dicitur. Plutarchus.

An quod ſal non parum conferat ad geniturã? nam Venus canum excitatur ſalſis carnibus. ſimiliter & muſculis ſal pruritum concitat, ita vt fœmelæ citra congreſſum pariant, ſi ſalem illixerint. Ergo pruriginoſi ſalaces ſunt, maximeq́; Elephantici.

Comitialem tradunt ſanari à cibo è car- 8
ne feræ occiſæ eodem ferro, quo homo interfectus eſt.

Caro lupi eſitata arcet phantaſmata. 9
Sextus.

Amiantos lapis ignis vim exuperat, ſi- 10
quidem non conſumitur etiam ſi multo tẽpore in igne maneat: ex eoq́; telas & vela texũt, quæ ignibus iniecta ardent quidem, ſed flammis inuicta ſplendidiora exeunt. Dioſco.

Amiciſſimi ſunt Pauones & Columbæ. 11
Turtures & Pſittaci. Merulæ & Turdi. Cornices & Ardeolæ. Harpe & Miluus. Noctua & Accipiter. Tinnunculum paſſeres & columbi amant. Balena & Muſculus inter ſe ſunt concordes. Crocodiloq́; familiaris eſt Trochilus.

Anima

Animalium inimicitiæ magna ex parte ſunt ob cibum & venerem. Quæ ob cibi quæſtũ oriuntur ſunt perpetuæ.

12 Antipathia mira eſt inter Crocodilum & Ichneumonem ac magna rurſus inter hunc & Aſpidem. Elephantes oderũt Dracones, Rhinocerotes, Murem atque Hirudinem. Cameli naturale odium aduerſus Equos gerunt. Aquilis pugna eſt acerrima cum Dracone, cum Ceruis, cum Accipitre. Hunc Tinnunculus terret, in tantum vt viſum, vocemq́; eius fugiat. Diſſident Cygni & Aquilæ. Cornices & Noctuæ. Hæ quoque & aues minores. Coruus & Miluus, Coruus & Choliro, Æſalon & Coruus, Acanthis & Aſinus, Gallinacei & vulpes & huiuſmodi ſexcenta.

13 Nec ſolùm in omni animalium genere, verùm in plantis etiam, atque foſſilibus reperiuntur apathiæ, & antipathiæ, nanque hædera arboribus omnibus & ſatis eſt inimica, Braſſica Viti, Quercus Oleæ, Adamanti ſanguis Hircinus, Adamas Magneti, cum quo & Allium diaſpathiam habere affirmant.

14 Apud Indos tractus eſt, cui nomen eſt

Pha-

Phalacrus, id eſt caluus, eoq́; ita appellatur, quòd qui herbam eo naſcentem guſtauerit, & pilos & cornua omittit. Ælianus.

Nilus ſolus aura caret. Herodotus. An 15
quòd conſentaneum ſit è locis valde feruidis nihil reſpirare auræ.

Carnis comeſtio mentis aciem hebetat. 16
Philoſtratus apud quem legitur fons periurij mirus.

Pocula mira fiunt contra morbos inſa- 17
nabiles & venena ex Indorum cornibus Aſinorum. Idem.

Aues pingueſcendi cauſa in tenebris pa- 18
ſcimus.

Natos parētes vt cor omnes diligunt. Eu 19
ripides riſu certè obruendi ſunt, qui vtrum naturalis ſit nec 'ne, amor parentum in filios dubitant, viſa eſt enim vipera, vt narrat Philoſtratus, ſerpentes quos peperit lingua lambere, vt omittam varia exempla, quæ naturalem generantis ad genitum amorem declarant, veluti ſunt Elephantis, Tigridis, Aquilæ, Ciconiæ, Delphini, Phocę & Balenę apud ipſum Philoſtratum. Aliter tamen ſentire de vipera Nicander videtur his verſibus:

Vipe

Vipera ſæua caput lethali dente mariti
Mordicus abſcidit, ſed nata è ſemine proles
Viſcera dilaniat matris.
Sic patris interitum ſub primo vlciſcitur ortu.

20 Hirundines in Samo albæ ſunt, & ſi acu excæcentur viſum recipiunt. Ariſtol. & Celſus.

21 Oua incubantibus ſubijci impari numero debent, ſi Plinio creditur.

22 Cuculo non ineſt pullos excludendi facultas, an quia frigidus.

23 Herba quadam Picus Martius obſtructum lapide foramen reſerat. Plin. Idem de Vpupa refert Ælia.

24 Clauſa omnia ætiopidis herbæ tactu aperiuntur. Plinius.

25 Si ſomnus ſit quies vacuatioq́; ab animarijs actionibus mirabile videtur, eſſe quoſdã qui in ſomno ambulent, & loquantur. Galenus aſſerit ſe ſtadium fermè integrum dormiendo peregiſſe.

Sola figura ſimpliciter media ſecundum Hipp. & Galenum ἄκαμος eſt, doloreq́; caret. Huicq́; ſoli omnium figurarum ineſt muſculos omnes quieſcentes præbere. Et ſi verò in extremis figuris ſomnum capere nemo poſsit, quia valida & vehementer

menter intenſa muſculorum operatione ad huiuſmodi indigemus. Attamen non ſolùm in media figura dormire poßimus, ſed in ea etiam quæcunque eſt, inter extremam & mediam figura. Quamobrem ne dormientes quidem omnes otioſos penitus muſculos habere neceſſe eſt. Præterea vt ſcribit Ariſtoteles quinto de g. animal. accidit dormientibus etiam animalibus ſenſus. Non modò quæ ſomnia vocantur, ſed etiam præter ſomnia, vt his qui dormientes reſurgunt, & quidem pleraq; agunt ſine ſomno. Sunt enim inquit qui dormientes reſurgant, & ambulent, videntes eo modo, quo qui vigilant, his enim qui ſenſus accidentium contingit, quanquàm non vigilantibus, tamen non vt ſomnium. Ex quo patet quòd non quicquid viſitur in ſomno dici inſomnium poteſt. Nam tunc propriè inſomnium eſt, quum is qui ſomniat existimat vera eſſe, quæ dormienti occurſant. At de inſomnijs quæ verißima eſſe expertus eſt, pluria miranda commemorat primo genialium dierum Alexander ab Alexandro.

Si hyenæ piſcis pinnam dextram dormienti admoueas, eum perturbabis, quia formidoloſa ſpectra videbit. Ael. 25

Cercopithetus Crocodili pellis conſpectum ferre nequit, potius per ignes & 26

aquas effugit. Gill.

27 Serpentes fugiunt fraxinum & eius vmbram, quòd ſi gyro in ea fronde claudatur ignis & ſerpens, in ignem potius quàm in fraxinum fugiet ille. Plinius.

28 Viperam ſiſtit fagi ramus ſi ei admoueatur. Plutarch.

29 Viperæ ne feriant manibus ſerpentariæ minoris vel maioris folia, vel radicem adfrica. Brunſelſius.

30 Vipera ſemel percuſſa arundine obtorpeſcit, pluries roboratur. Neſtor in panacea idem de ſerpente tradit. Ael.

31 Serpens moritur quernis folijs ipſi iniectis. Nec mouebitur penna Ibidis ipſi iniecta. Idem.

32 Cãcer admota ipſi polypode herba, abijcit chelas, ſiue pedes. Idem.

33 Lupus ſi prior viderit hominem, imbecilliorem ipſum facit, & voce priuat, ſi verò lupus ab homine prius fuerit viſus ipſe debilior redditur, ex Platone. Hinc illud poëtæ:

–Vox quoque Mœrim
Iam fugit ipſa: lupi Mœrim videre priores.

A corporum effluuijs cauſa ſumenda eſt.

Leo

Leo à ſomno inuictus, perinde atque 34
ſol, aut Rex. nam quum dormit caudam mouet.

Leo ignem exhorreſcit. Exteriorem e- 35
nim ignem ob copiam interioris ægerrimè intuetur,& fugit. Ael.

Ignem nimirum fugiunt feræ omnes præ 36
ter Elephantum,Strabone teſte.

Ad Galli cantum Leo expaueſcit, ſi cre- 37
dimus Aeliano, & Pamphilo, apud Florentinum.

Aiunt Aſtronomi, ordine apud ſolem, gallum leone ſuperiorem eſſe, magiſq; ſolarem. Quo fit vt leo non ſolùm Gallum ſed cantum eius extimeſcat.

Affinitas eſt Leoni cum Delphino,quòd 38
ille terrenis, hic aquatilibus imperat, ſemperq; mouetur etiam dormiens,quòd ſenectute ambo contabeſcant. Et quum ſint in ægritudine, illi terreſtris Simia medetur, huic marina. Ael.

Leo quartana febri ſemper conflictatur 39
forſan ne ſæuiat indomitus, eſt enim quartana Leonum domitura, vt autumat Vitalis.

Leonis ſuper pelle ſeſſio hæmorrhoida- 40

rum fluxum ſiſtit. Razes.

41 Leo & lupus ſi conculcant ilicis vel ſcillæ folia, torpore corripiuntur, vel ſi modò appropinquant ad ſcillæ folia. Aelianus, & Pamphilus.

42 Equi vel Aſini fimi odor hæmorrhagiam emendat. Raze.

43 Equæ calua palo affixa erucas abigit, & fœcundat hortos. Columella.

44 Elephanti cornua ſiue dentes defoſſa indicantur vtribus aqua plenis, ex quibus aquam eliciunt, appoſitis in eum locum vbi ſepulta ſunt.

45 Canes non inuadunt ſues paſtas fraxini fructu, quia iſchiaticam contraherent. Ael.

46 Quod canes robuſti & veloces fiant, ſi Ceruas, Leænã, Damas, vel Lupam lactent, ratio haud cæca eſt. E diuerſo Leones. Pardi & feræ id genus, cicurantur vſu lactis ouilli, aut caprini. Præterea leones blanditijs minacibus ex feritate ad manſuetudinem traducuntur. Liquet etiam quamobrem ſagacibus ver inimicum canibus ſit, Autumnus contrà, amicus.

47 Ex canibus inquit Aelianus maximi animi eſt Moloſſus, quia acriter animoſi

ſunt

ſunt Moloſſi viri. Mira illatio, ex qua pateſcit, quod nõ modò hominũ ſed etiam brutorum mores regionis naturam ſequuntur.

Canis non adlatrat habenti Muſtelæ cau 48
dam, modò abſciſſa cauda viuam dimittat. Ælianus.

Hyenæ linguam ſi quis manu teneat cõ 49
tra canum impetum magnam cautionem habebit. Gill.

Hyenæ pellis canum dentibus eſt infe- 50
ſtiſſima, qua calceatus tantopere canibus formidoloſus exiſtes, vt te latrare non audeant. Gill.

Hyena dextram manum habet ſoporife- 51
ram, ſi naribus admoueatur. Ael.

Hyena inimico inſequente, ſi ad de- 52
xtram partem ſe cõuertat, interimit inimicum. Si ad ſiniſtram, interimitur ipſa.

Hyena ſerpens modò mas, modò fœmi- 53
na fit, cuius pellis ſi cum pardi corio reponatur, huius pilos abijcit.

Aquilæ pennæ alias corrumpunt ſibi 54
conſociatas. An quòd cæterarum auium pennæ cum Aquilinis ſepoſitæ abſumuntur caloris defectu, vt retur Plutarchus.

Sic fideſ ex lupi inteſtinis, inteſtinorum 55

Ouium cordas corrodunt. Vitalis.

56 Sic timpanum ex lupina pelle, ſi inter timpana ouillis pellibus inſtructa pulſetur, ipſum ſolum grauiter reſonat, alia obmuteſcunt. Vnde videri poteſt, quòd oues mortuæ lupos mortuos perhorreſcunt. Idem.

57 Lupus conuellitur calcans lycoctonon herbam. Ael.

58 Luporum impetum reprimit tibiæ ſonus concitatus.

59 Vulturis pennæ pedibus parturientium ſubditæ, partum facilem præſtant. Sextus.

60 Caldarius auis ægrotantes morituros auerſatur. Syluaticus.

61 Auriginoſi Rupicem auiculam inſpectantes curantur, ea enim trahit & rapit in ſe morbum per oculos. Quare Rupex arquatos auerſatur.

62 Exortu caniculæ canes toto eo ſpacio in rabiem agi non eſt dubium. Plin.

63 Ranæ mutæ in Seripho. An propter aquæ frigiditatem. Mutæ etiam Cicades ſunt eadem in inſula, ſed aliò tranſlatæ canunt. Idem.

64 Muſcæ mortuæ vitam recipiunt tepidis cineribus tectæ. Apes ſucco nepitæ illitæ.

Homi

Homines verò vi herbæ, quæ boli vocatur Xantho hiſtorico.

Oues à lupo adeſæ iucundiorem habent carnem, verùm lana pedunculos generat. Plutarch. 65

Lupus nec ferrum timet, neque haſtam, ſed tantùm lapidem, ex cuius proiectu vulnere facto, gignuntur lupo vermes. Orus. 66

Cynocephalus variè afficitur ad curſum lunæ, vt Orus explicat. Magna quoque in oculorum morbis lunæ vis eſt, etenim ad eius vices oculi aut ampliores fiunt, aut minores. Quod in Aelurorum oculis conſpectè pateſcit. Plin. 67

Omnia quæ creſcente luna gliſcunt deficiente contrà deſinunt, exuccaq; ſunt. Quanquàm in quibuſdam eſt antipathia, nam cepe, teſte Plutarcho, luna decedente reuireſcit ac congerminat. Inareſcitq; eadem adoleſcente. Solum igitur cepe ex cunctis oleribus, contra lunæ augmenta & damna, minuendi & augeſcendi vires habet contrarias. Quod & Gellius annotauit. 68

Luna putredine cadauera abſumit. Ob defluuij quod ab ea procedit proprietatem. Itaque ferarum occiſa corpora in ta- 69

bem viſu ſuo reſoluit. Somnoq́; ſopitis torporem contractum in caput reuocat. Plutarchus.

70 In his quæ ſerimus & augeri volumus luna creſcens adhibetur. In his autem quæ demetimus, deficiens. Plin.

71 Succiſa ligna in plenilunio carie conficiuntur, tunc rubigo infeſtat. An quod aër in plenilunijs putredini magis obnoxius eſt? vt retur Plutarch.

72 Noctes in plenilunio calidiores eſſe credidit Ariſtoteles. Attamen quia luna in æſtate plena, tenet ſigna hiberna, in hyeme è diuerſo ſigna tenet æſtiua, cõtingit quòd in æſtate plena luna minuitur æſtus.

73 Silente aut deficiente luna non eſſe nauigandum expertus eſt Syneſius.

74 Aſpidis lingua in menſa poſita venenum prodit. Vitalis.

75 Ocymum mulieribus infeſtum, nam cum radice ſub patinam obſonij ſuppoſitum ignorante muliere, ea obſonium non continget. Florent.

76 Ocymum manſum & in ſole expoſitum ſcorpios gignit.

77 Lunæ radij indormientes ſi feriant, ſtupidos

pidos faciunt. Plutarch.

Solis radius inſalubris vulneribus eſt. Aelianus. 78

Cauſam qua æſtus maris accedant & recedant in ſole & luna ponere videntur Ariſtotel. & Plinius. At Picus aliam quæ oceanum effundat & reuocet, rationem tradit, tertio aduerſus Aſtrol. Eſt etiam apud Strabonem de refluxus maris cauſa notatus Ariſtoteles. 79

Vaſorum fundum aquam feruentiſſimã continentium haud vrit. An id contingat propter antiperiſtaſim? vel quòd purior in fundo, veluti centro, áqua redacta eſt. Certè Auerrhoi aqua pura non calefit, ſicut nec aër purus infrigidatur. 80

Mirum aqua addita non liqueſcere vaſa è plumbo, quum eadem in aqua calculus, æreus've quadrans ſi addatur, peruratur. 81

Cineris & aquæ tantundem ſimul vas idem capere poteſt, quantum plurimum vtriuſque ſeorſum infuſi capiat. At foueæ terram inde exemptam recipere nequeunt. Cauſam reddit Ariſtoteles 25. probl. 8. 82

Mirum de lacertorum diſſectione, nam pars vna ab altera ſeiuncta ſecundum lon- 83

gum, viuit & graditur. Rhod.

84 Idem tradit de Echinis piſcibus, Aelianus. Cõtriti enim, piſti, ac per fruſta diuiſi, dein in mare abiecti, protinus integrantur, & viuunt.

85 Lupum etiam piſcem fluuiatilem ſciſſo ventre, & inde conſuto ſanari ferunt, ſi inter tinchas in viuario reponatur.

86 Sic carnes cum ſymphyto decoctæ coaleſcere ait Dioſcorides.

87 Sanguis quoque indicæ cuiuſdam Teſtudinis omnem continui ſolutionem, non ſolùm in carneis & ſimilaribus, ſed etiam in ſpermaticis & inſtrumentariis ſanat illitus, vt ferunt Diodorus & Aubanus.

88 Similes effectus præſtare viticellum Empiricus tradit Saracenus. Meminit & Plinius terræ, qua ſanantur omnia vulnera. 7. nat. hiſto.

89 Cerui & Apri muſica capiuntur, ferunt etiam ouium greges apud Arabes muſica pluſquàm cibo pingueſcere. Aelia.

90 Muſica curantur Viperarum & Aranearum morſus, teſte Theophraſto. Id confirmatur eleganti cuiuſdam à Tarantula demorſi hiſtoria, quam memoriæ prodidit

Alex.

Alex. ab Alexandro. An quòd muſica animum excitat,& ſpiritus ad corporis circun ferentiam mouet, ac perinde venenum à corde diſtrahitur,perq; poros diſcutitur,atque diſſipatur.

Aſclepiades phreneticos, mente imminuta, & valetudine animi affectos,nulla re magis quàm ſymphonia & vocum concentu,ac modulis reſipiſcere, & ſanitati reſtitui cenſuit. 91

Soni tubarum pugnaces faciunt, ſonus enim præ cæteris animæ ſedem attingit. Argumento eſt ſerræ ſtridor,qui horrorem quendam, quum primum auditur,toto corpore excitat. Iacchinus. 92

Inſtructa acie clamorem primùm attolli, & citatiore gradu moueri,mox curſu impetere iubent Anteſignani. An quòd motus calorem, & hic audaciam excitat? Idem. 93

Qui nihil timent fortes præter modum euadunt, vt furentes, ſed qui ex ira pallent ſeniores ſunt, quod pauci ſint ſanguinis, atraq; & amara bile abundantes. Idem. 94

Raró longus ſapiens, raró breuis humilis, 95

lis, rationem vtcunq; explanat Cocles.

96 Capitis habentes paruitatem, vel omnino totius corporis breuitatem in iram procliues ſunt. An quod in illis cerebrum cordis feruorem non temperat? in his verò in anguſti coactus ſanguis natura calidior fit.

97 Beneuolus ſermo triſtitiæ, iræq; remedium eſt, ac Medicus quæ eſt in animo paſſionis, vt Menander his ſenarijs complexus eſt.

Λόγος γὰρ ἐστὶ λύπης φάρμακον μόνος·
Μέγιστον ἐστὶν ὀργῆς φάρμακον λογός.

98 Pedibus timor addidit alas. An propter ſpem quæ ſe offert aliquando, dum timore præmimur. Alioqui falſum eſt timorem vires augere.

99 A natura quæ timida ſunt animalia, aſtu & artibus ſeſe tuentur.

100 Quibus clara vox audaces natura, & iracundi ſunt.

DE

DE ADMIRANDIS FACVLTATIBVS QVARVM CAVSAE HAVD CONSPICVAE SVNT,

*

RELIQVAE ALIQVOT DECVRIAE.

ET SI ſpes audaciam, vireſq; augeant, non tamen contra omnis deſperatio timorem adauget, vireſq; tollit. Iuxta illud, 1

Vna ſalus victis nullam ſperare ſalutem.

Cur ſi conſuetis gaudet natura, noua 2
ſemper appetimus?

Amoris origo à viſu naſcitur, vnde igno 3
ti nulla cupido. Imo à Venere. Venus enim cupidinem parit.

Nonnulli amore inuiti detinentur. An 4
quòd amor habitus quidam eſt.

Amantium ſemen ſimul congredien- 5
tium melius cohæret. Et ardentius amant qui amorem cohibere coguntur, quia nitimur in vetitum. Et qui perditè amant iniurias etiam leues graues iudicant.

Fuit

6 Fuit apud Hæbræos vir ſanctimonia clarus, qui ſuam ſe præcedentem animam videre putabat, ſi eorum rectè memini, quæ in Camilii Theatro leguntur. Tres enim in homine ſunt Animæ, vt illi autumant, videlicet Nephes ſenſitiua. Ruach rationalis. Neſſamach Moïſi ſpiraculum eſt, lumen Dauid. Mens Platoni. Intellectus agens Ariſtoteli, qui eſt ſeparabilis, non mixtus, nec morti obnoxius, & vis per quam intelligimus, ſicut intellectus poſſibilis eſt ingenium, & intellectus practicus ipſa intelligentia.

Equidem aliud fuiſſe quod ille videbat quàm animas (quæ omnes inuiſibiles ſunt) arbitror: ſiquidem effigies corporum naturæ vi effingi in aëre poſſunt humecto, & in aqua, eodem modo, quo imagines rerum ſunt in rebus, vt ſcribit Albertus. Accidit autem quandoq; quòd aliqua humiditas aëris humiditati & aquæ perſimilis, in oculum defluit infirmum. Ex quo fit, vt ſimilis interdum effingatur imago in oculi humore. Quod etiam Ariſtoteles refert cuidam contigiſſe ex videndi infirmitate, vt idolum ſuum aduerſa facie ipſum præcedere arbitraretur.

7 Apollonius beneficio annulorum ſupra annum

annum centeſimum ac trigeſimum vixit, iuuentæ nitorem ſemper retinens. His vtebantur etiam Moſes & Solomon teſte Ioſepho.

Plato præſtabilis vir ſapientia de Gygi annulo mentionem facit, cuius ſigillum quum ille in palmam conuertiſſet à nullo videbatur, ipſe omnia videns. 8

Anno quinquageſimo in hominibus vigere maximè ſolet ingenium. Philoſtr. 9

Puluis in quo ſe mula volutauerit inſperſum corpori mitigat ardores amoris. Plin. Ex loci'ne virtute, an animalis? 10

Arcus cœleſtis loca vbi conſiſterit, atque arbores reddit odoratas. ex Plutar. & Plin. 11

Semina quæ in boum cornua impingunt, effœta & contumacia ſunt. Razes. rationem inquirit Plutarch. 12

Semina craſſeſcunt tranſmiſſa per cribrum ex lupi pelle factum. Flor. 13

Rubigini grandiniq; reſiſtit ſi per cribrum ex Phocæ pelle factum ſemen excutiatur, & terra conſeminetur. 14

Lens natura reſiſtit aduerſus impetus atque moleſtias ventorum. Quare ſeminibus amiſcenda dum ſeruntur. 15

Inue

16 Inuenio apud Autores æquanimitatem fieri veſcentibus lente.

17 Amygdala ſolitaria minus fœcunda eſt. Agr.

18 Ciconiæ folia platani nidis imponunt propter veſpertiliones. Hirundines apium propter blattas, palumbes laurum. Circi ſylueſtrem lactucam. Harpæ hęderam. Coruí viticem. Vpupæ amianton. Cornices verbenacam ſupinam. Galeritæ gramen. Turdus myrtum. Perdix arundinis bulbum. Ardeola cancrum. Aquila callitrichon.

19 Tigrem dicunt ſi tympanorum ſono obſtrepitur, inſanire, atque furere, ſeſeq; diſcerpere & lacerare. Gill.

20 Xenophon leporem ait clauſis oculis vigilare, apertis dormire.

21 Felem marem Ægyptij dicunt pupillas ad ſolis rationem variare, quum enim exoritur ſol tum longæ fiunt. In meridie rotundæ videntur. Ad veſperam autem obſcurantur. Gill.

22 Olori tanta eſt tranquillitas in extremo vitæ ſpiritu, vt ſibi tanquàm Nænia canat. Ælianus.

23 Gruum clangores pluuias accerſere fama

eſt, eædem ſilentio volantes ſerenitatem promittunt, eorumdemq́; cerebrum quippiam amatorium habet, vtile ad conciliandam mulierum gratiam. Idem.

24 Noctuam accedenti ad ſeriam actionem homini occurrentem inauſpicatam ſignificationem dare aiunt. Cui quidem rei teſtimonio fuit Pyrrhus Epirotarum rex, quoties enim, vt inquit Herodotus, ingentes ſunt euenturæ calamitates vel regibus, ciuitati, vel nationi, ſolent ſignis prænũtiari.

25 Cicada fœmina muta eſt, ac more ſponſæ verecundæ ſilentium ſibi conuenire exiſtimant. Ælianus.

26 Hyenæ vmbra canes obmuteſcere facit. Idem.

27 Ex ouo picto auis naſcitur colorata. Vitalis.

28 Fulmina ab ædibus arcet ſemperuiuum in tectis domorum poſitum. Vitalis.

29 Alyſſon rabientes ſanat ex totius ſubſtantię ſimilitudine. Gal. Sed facultates quę proprietatis totius ſubſtantiæ ratione inſunt, à methodo & ratione alienæ ſunt, & per ſolam noſcuntur experientiam. De quibus ſeorſum librum conſcribere Galenus

policitus eſt 6. & 11. ſimplicium libris.

30 Proprietates quæ ex tota rei ſubſtantia prodeuntes noſtris corporibus aut familiares ſunt aut alienæ, quatuor comprehenduntur materijs, nam aut ſunt purgatoria medicamenta, aut cibi, aut malefica, aut maleficorum remedia. Gal.

31 Lingua eſt organum quod naturæ ſimilitudines ac diſſimilitudines diſcernendi po teſtate pollet. Quod agnoſcens rerum naturas familiaria quidem eligeret. Aliena verò refugeret. Idem.

32 Quod nutrit à ſimilitudine quæ illi ineſt, ad id, quod nutritur dulce apparet. Idẽ.

33 Sic odores qui familiares ſunt cerebri ſpiritui, ijdem & grati ſunt, & ſuaues. Idem.

34 Ab eodem etiam, & ex prælibatis, amicitias quaſdam pugnãtiasq; qualitatum omnibus rebus ineſſe demonſtratum eſt.

35 Omnis res vt à Meſue & philoſophis dicitur, facultate duplici eſt prædita, vna quidem elementali, altera verò cœleſti.

36 Natura rebus omnibus proprietates quaſdam indidit, quibus hæ ipſæ quod ſibi proprium eſt agunt. Idq; pro formæ natura, & motione inſita. Quum nullius rei actio

pro

propria eſſe poſſit vlla, niſi quã forma ipſa excitat,& dirigit. Plato in Timæo.

Proprietates primò proueniunt ab Ideis ſecundum Platonem. Deinde ab intelligentijs præſidentib. iuxta Auicennam. A ſtellis & ſyderibus, vt vult Hermes, & Ficinus. A forma ſpecifica, vt tenet Albertus & Camilus. Poſteà ab elementorum diſpoſitis complexionibus correſpondentibus cœlorum influxibus, à quibus ipſa elementa diſponuntur, vt ſentire videtur Galenus. 37

Ex quatuor elementis, inquit Galenus, particulatim corporibus omnibus conſtant generationes impares mixtura, ac diuerſæ. Ex eiuſmodi itaque imparitate proprietates corporum particularium ſunt profectæ. 38

Itaque ſunt quædam proprietates quæ toti ſpeciei, cuilibetq; ſpeciei indiuiduo competunt, vt in Magnete vis ferri attractrix, quæ non minus inſequitur formam ſubſtantialem Magnetis, quàm proprium eius temperamentum cuius generatio non aſcribitur cœlo: ergo nec Magnetis proprietas acceptam referre cœlo ſuam generationem debet. 39

40 Ex quo liquet quòd aliqua proprietas à cauſis inferioribus ortum habere poteſt. Quod loco præcitato Galenus innuit. Itaq; ex varia medicamentorum compoſitione ſubinde miras proprietates reſilire videmus.

41 Sunt autem proprietatum duo genera. Vnum inſequens materiam, quod forma non exigit, ſed aſcititium eſt, ipſi materiæ, ab agente extrinſeco, & huiuſmodi genus magna ex parte pendet à cœlo. Alterum quod ſequitur formam, efficitur à generante formam vel formæ diſpoſitionem.

42 Ergo quæ à Medicis ἰδιότητες ἄῤῥητοι λέ-γονται, id eſt, occultæ appellantur proprietates, facultates ſunt mirabiles quæ miſtis inſunt ratione eorum quæ ſunt propria. Nempe forma ſpecifica & miſtionis gradus, ipſi formæ diſpoſitus.

43 At Damaſcenus amuletis, inquit & his, quæ inſita quadam, ſed abdita proprietate agere videntur, non eſt adhærendum. Incerta enim genuina rerum proprietas. Plurima nanq; à cœleſti vi deſignare quippiam viſa, natura potius deſignaſſe à ſapientibus viſa ſunt.

Certè quod recens peoniæ radix de col- 44
lo pendens ſanet epilepſiam, id non nume
ratur inter ἰδιότητας ἀῤῥήτους à Galeno. Nec
vi latente portulaca curat hemodiam, quæ
ſcilicet ab acidorum contactu eſt facta, ſed
quia lenit viſcoſa humiditate.

Deinde ſi non adhærendum ſit his, quæ 45
abdita proprietate agunt, Cur Damaſce-
nus vtitur cholagogis, phlegmagogis, hy-
dragogis, & melanogogis? alijsq; id genus
ſexcentis?

An illi ignota fuit purior & actiua ſcien 46
tiæ naturalis portio? quæ aliud nihil docet
quàm naturalium virtutum adminiculo ex
mutua earum & opportuna applicatione
opera edere extra omnem admirationis ca
ptum. Quo genere Æthiopes maximè
vtuntur, & Indi.

Quis ab hoc Remoræ exemplo, quæ co 47
git ſtare nauigia, de vlla potentia naturæ
atque effectu in remedijs ſponte naſcen-
tium rerum dubitare debeat? Quid non de
remediorum omnium momentis ſperan-
dum eſt?

Iure igitur pleroſq; video exiſtimare (in 48
quorum albo Plinius eſt, & Auenzoar) nihil

non remediorum, herbarumq́; vi, effici poſſe, ſed plurimarum vires eſſe ignotas.

49 Reſtat Puteanus, cui cæca proprietas eſt veluti confugium, vel deus potius tutelaris cæcæ multitudinis, cauſas variorum effectuum ignorãtis. Sed qui de omnibus ſcientiam quęrunt, ſimul cum ratione ſcientiam tollunt, vt inquit Theophraſtus.

50 Verùm ſi tuum ſit, ô Lyncee, naturæ cauſas penitus retruſas explicare, cedo, cur Adamas, cuius inuicta vis duarum violentiſſimæ naturæ rerum ferri ignisq́; contemptrix, hircino rumpitur ſanguine? Cur Adamas diſſidet cum Magnete in tantum, vt iuxta poſitus ferrum non patiatur abſtrahi? Cur Gallinaceum Leo & Baſiliſcus timeãt? Et ſuillum pecus Elephantus horreat? Qua vi Echineis ſiſtat nauigia? Qua Torpedo per longiſſimã virgam tacta, per validos etiam lacertos torpeſcere faciat? Cur viſu aut voce procul & à longinquo, animantes, Baſiliſcus interimat?

51 In his & ſimilibus exquirendis, & ſi qui permulto abundant otio plurimum temporis conſumant, non tamen optatum conſequuntur.

Sunt

Sunt enim innumera ferè omnibus con 52
ſpicua, quorum ratio non poſſit iniri. Et vbi nos cauſarum ratio deficit, hinc dubitandi manat exordium, hoc eſt philoſophandi.

Idcirco philoſophiam modo quodam 53
conantur abolere, qui prodigioſis naturæ miraculis fidem non habent.

Præter hæc quorundam hominum natu 54
ra mirabilis eſt, vt ille apud Auicennam, qui quum vellet corpus ſuum paralyſi oblædebat, & de ſudatore Auguſtini, deq; his, qui aures pro arbitririo mouerent. Quiq; totam cæſariem capite immoto, quantum capilli occupant, ad frontem reuocarent. Sed oppidò ſtupenda illius natura fuit, qui vbi collibuiſſet ſe auferebat à ſenſibus, vt taceam quòd varij dolorem conſequuntur euentus. At timor quàm efficax? Eſſe nanque cruciatus formidinum ipſis doloribus vehemẽtiores ſatis perſuadet Xenophon. Timore quoque diſcutiuntur ſingultus, & quartana, teſtibus Raze & Auicenna, hęc non niſi ex poteſtate quam in corpus habet anima fieri videntur, nam in Crœſi filio muto, apud Herodotum metus vehemens, & auiditas ſermonem excuſſit.

Sunt

55 Sunt etiam naturæ melancholicorum diuerſæ apud Galenum & alios. Talis videtur Senecio, apud Senecam. Equidem hominem noui, qui plagis feruentior coorirebatur in concubitum. Quodq; magis mirum melancholico affectui, nonnunquàm & ſpiritus conſociari tradunt.

56 Eſtimationes præterea mouent humores, ſic Tauri phœniceis veſtibus iritantur. Elephanti claris. Ceruos puniceæ agitant pauidos formidine pennæ.

57 Sed quid dicemus de auro Toloſano, de Equo Seiano, de Helenes & Eriphyles ſegmentis. Quæ dominis fuere exitialia. An non iſta ſunt ſolutionis expertia omnino, & à natura tantum cognobilia, quæ horum conſtituit eſſentiam.

FINIS.

SELECTA ALIQVOT IN APHORISMOS REDACTA.

*

Quorum ſectiones tres ſunt.

Autore D. H. Montuo, Regiæ ualetudinis aſſertore, & à conſilijs.

LVGDVNI
APVD IOAN. TORNAESIVM
ET GVLIEL. GAZEIVM.

M. D. LVI.

Cum Priuilegio Regis.

Neophitus in re medica Do. Antonio Campegio illius celeberrimi Archiatri Do. Symphoriani Campegi filio, medicinæ candidato

S. P. ἐραστὴς εἶ, vt aiunt. teq́; audio deperire non χάριτες modò, ſed et Muſas ipſas. fuge ſi ſapis Leſbiam, ne te offendat Catullus apud quem Lesbia Pierijs ſoror vna addita Muſis. Sed quid erit premij, ſi ex Muſarum hortulis ad te aliquot mittam floſculos? floſculis enim ſeſe oblectari Amantes ſolēt. Verùm ne forte horum te deſiderium torqueat, commodum mitto colore, odoreq́; varios. Boni conſule, & vale. 1520.

SELECTORVM SECTIO PRIMA.

*

De arte.

ARS per tria, vt inquit Hippocrates, Morbus, Æger, Medicus.

Artes practicæ tria continent quæ ſcire oportet. videlicet ſubiectum, finem, inſtrumenta. Quibus finis in ſubiectum inducitur. Auer.

Artes naſcentes rudes ſunt, ſed harum in proceſſu ſubtilitas creuit. Seneca.

Artium omnium principia tenuia fuiſſe, nec ſtatim ad conſummationē eas eſſe productas ſcripſit Ariſtoteles, ſed alijs atq; alijs ſubinde addentibus diligentiusq; perſcrutantibus id factum οἷον ἐκ διαδοχῆς τῶν κατὰ μέρος.

Medicinę facultas eſt quoniã illius quod curat naturam conſiderat, & cauſam eorum quæ agit, expendit, ac horum cuiuſq; reddere rationem poteſt. Plato.

Adulationes ſubeunt artes. vt medici-

nam coquinaria adulatio ſubit gymnaſticam fucatoria.

Quod fucatrix ad gymnaſticam, hoc ſophiſtica ad legalem. Rurſus quod coquinaria ad medicinam, id rhetorica eſt ad iudiciariam. Idem.

Artes pleræq; imo ex omnibus liberaliſſimè habent decreta ſua, non tantùm precepta. ſicut medicina. Itaq; alia eſt Hippocratis ſecta, Alia Aſclepiadis, alia Themiſonis.

Præcepta philoſophiæ ex decretis dependent, teſte Seneca.

Veterum monumenta præcipuè legenda ſunt vt quibus ætas magis longęua, tempora tranquilla, ſtudium quàm nobis ardentius, opes prætereà multo plures fuerint. Quæ præcipuè ſunt rerum diſcendarum occaſiones.

Mater Muſarum eſt memoria. Plato.

Artem perdiſcere, & his quæ didiſceris rectè vti, differunt. Quod ſcite aſſerit Gal.

Nã in cũctis artibus difficilius eſt facere quæ oportet, quàm ſcire: vt ait Xenophon.

Medicina diſciplinarum omnium antiquiſſima eſt, nam artes magicæ non illæ

vanæ

vanæ quidem, ſed naturales inde fluxerunt. Quarum Autor perhibetur Zoroaſtes. Ex Philelpho.

Medicina ingenuarum artium præſtantiſſima, omnium artium maxima, venerabilisq́; ſcientia eſt Hippocrati & Galeno.

Medicina non fortuna nec perſonis homines æſtimat. verùm æqualiter omnibus implorantibus auxilia ſua ſuccurſuram ſe pollicetur: Nulliq́; vnquam nocituram profitetur. Scribonius.

Scientia ſanandi & non nocendi eſt Medicina. Idem ſaluti hominum medicina quæſita eſt. Apuleus.

Vt alimēta ſanis corporibus agricultura, ſic ſanitatē ægris medicina promittit. Cel.

Medicamenta θεῶν χεῖρας, id eſt, deorum eſſe manus Philon ait.

Artium omnium ſemina & facultates natura ſunt ingenioſis. Exercitatione confirmantur, pręceptis augentur & illuſtrantur. Socrates.

20 Neque ingenium ſine diſciplina, aut diſciplina ſine ingenio perfectum artificem facere poteſt.

Imo ſæpius ad laudem atq; virtutem naturam

turam ſine doctrina, quàm ſine natura valuiſſe doctrinam obſeruatum eſt.

Eſt enim inanis ferè doctrina natura non ſuffragante. Cic.

Ingenium naturale cum paruo artis fundamento adiuuat artem. Dam.

Nemo vnus poteſt in multis excellere, ſi credimus Socrati.

Plebeia ingenia magis exemplis quàm ratione capiuntur. Macrob.

Conſentaneũ eſt in genere nobili, quàm ignobili, ingenia meliora ineſſe. Plato.

Homines natura arithmeticos ad omnes diſciplinas eſſe aptos, Idem dicit.

Sunt quidam natura eruditi, qui maxima & præcipua ſine doctrina nouerunt. vt Themiſtocles fuit teſte Galeno.

Artes ornatus gratia ſunt inuentæ. Philoſtratus.

Quæ mundiciem celeritatẽq; admittũt, celeriter mundeq; conficienda ſunt: ſic pręſtant ignauis Artifices celeritate & elegantia. vt inquit Gal.

In ſcientijs & artibus excuſatius eſt voluntate peccare, quàm caſu. In morali maxima culpa eſt, ſponte delinquere. Seneca.

Vtilit

Vtilitas & dignitas artium è profeſſorum actionibus æſtimatur. Socrates.

Opera artificum circa ſpecies verſantur indiuiduas, vt ait Gal.

Actiones omnes circa ſingularia verſantur. nam qui medetur non hominem ſanat niſi per accidens, ſed Calliam cui accidit hominem eſſe. Ariſtol.

Scientes vniuerſale ſæpe ignorant ipſum ſingulare. Idem.

Bene conſultare maximum eſt lucrum. licet fortuna ſuperet concilium Herodot.

Peritiam ars, imperitiam fortuna ſequitur. Plat.

Metus tempore ratio omnis & conſilium deeſt. Niceus.

Diſcrimē ſine neceſſitate non eſt adeundum. Herod.

Malum bene ſopitum ne moue. Plato.

Omnis cura eo tendit vt bonum & vtile ei, quod curatur afferat. Idem.

Abſurdum eſt in maioribus affectibus tardiore medicamentorum vſu homines in diſcrimen afferre, in minoribus verò vehementiam auxiliorum iniuria laceſſere. Dio.

Auxiliari ne differas quia ſemel pereūti

nulla deinde ſuffragia proſunt.Meſ.

Satius eſt anceps experiri auxiliũ quàm nullum Celſi ſententia. Quibus alia ſalutis ratio non eſt , & quæ vnica videtur, ea dubia eſt , neceſſe eſt eos aduerſos periculis eſſe. Theucid.

Sed in periculoſis affectibus inexploratis non eſſe vtendum monet Gal.

Quæ neceſſaria ſunt turpe eſt neſcire. Plato.

Antiquitus non erat neceſſe circunſpicere multa auxiliorum genera,quum eſſent periculorum pauciſſima.Seneca.

Nihil negligere oportet,nihil temere credere,aut affirmare.Gal.

Ex multis exiguis coniunctis integratur ſumma non pœnitenda.Idem.

Ex noticia cauſarum ſalubrium dexter vſus oritur:contingit autẽ vbi opportunum cuiuſq; cauſæ ſalubris tempus ac modum quis inuenerit. Idem

Circa ſalubre & inſalubre duæ intentiones rei quæ adhibetur qualitas & quãtitas. in quibus tẽporis occaſio cõtinetur. Idem.

Medicinalis materia fit auxilium,quãdo in tempore,atq; vt decet,exhibetur.Idem.

Lex

Lex ratio eſt quæ iubet ea, quæ facienda ſunt, prohibetq́; contraria. Idem.

Quod agitur celeriter, iocundè & eleganter fiat. Idem.

Gratificandum ægrotantibus eſt in cibis potibus & medicamentis. Idem.

Suauius aſſumpta & ſi deteriora, melius concoquuntur, vnde neceſſe interdum eſt, ægrotantibus exoptata concedere, niſi magnum ſint detrimentum illatura. Idem.

Conualeſcentib. cibaria inſalubria petẽtibus non neganda, ſed quoad fieri poteſt corrigenda ſunt. Dam.

Senſuum oblectamenta, nempe guſtus, odoratus, viſus, auditus, gaudiaq́; cætera, in non minima auxiliorum portione continentur. Idem.

Quæ arrident ægrotanti honeſta in memoriam reuocare, atque eorum ſi fieri poteſt copiam facere, vel propediem ſe habituros polliceri, vt ſpem optimam habeant, ſalubre eſt. Idem.

Prodeſt infirmo fides ſpesq́;. Celſus.

Multi ex ægritudinibus liberati ſunt gauiſi ſolùm. Gal.

Imprimis cauendum ne ex remediis vitia

fiant. Quod euenit nimia aut intempeſtiua medicina. Plin. & Gal.

Periculoſa experientia in homines noxios meritò vſurpatur. Idem.

Medicina poſtremò ſcientia eſt non vna & altera ſed omnium conſortio doctrinarum conſumata. Iſod. & Eraſm.

SELECTORVM SECTIO SECVNDA.

*

De morbo & Aegro.

ANTE præſagitionem & curationem Hippocrates intelligi voluit illam partem quæ ad morborum cauſarumq́; dignoſtica pertinēt.

Quibus non intellectis nulla certa præſagitio aut curatio fieri poteſt. nam

Mala, quæ grauia videntur, & talia non ſunt, ſunt curanda. At quæ verè grauia ſunt, non tamen talia ſe oſtendunt, monet Hippocrates vt Medicus ſeſe ſubducat.

Morborum cauſarumq́; eorum, variæ ſunt, pluresq́; differentiæ. Quarum quęlibet propriam exigit curationem. Gal.

Curatio verò vnam præcipuam & com-

muniſ

muniſſimam habet intentionẽ, ad id quod eſt diſpoſitioni auferendæ contrarium. Idẽ.

Morbus ſimplex ſimplicem curationem deſiderat, implexus verò compoſitam. Idẽ.

Morbus fiens curatione mixta, factus verò curatione vera curatur. Idem.

Morbos cõmunes peſtilẽteſq; ad Deum ſæpe referũt homines, de curatione eorum conſultantes. Idem.

Morbi longi longam curationem exigunt, difficiles verò, & acuti diligentiam. Manar.

Sicut in Oligarchia qui plus poſſunt, minus potentes opprimunt, ſic in corporis particulis fit, vbi fortior excrementa ad imbecilliorem tranſmittit. Idem.

Morbum producunt vel etiam mortem accerſunt, errores circa ægrum commiſſi. Idem.

Morbi exigui citò vincuntur à natura. Idem.

Morbi etiam faciles ob delicta producũtur, atque interdum lethales fiunt. Idem.

Filia Pyrrhonis quum venefico morbo laboraret, mortua eſt, quoniam intempeſtiuè cœnauerat.

Ergo

Ergo intempeſtiuè cibum ſumere, etiam in paruis morbis periculoſum.

Sic ſæpe Ægrotantium error medicis aſcribitur. Hippocr.

Quum morbi inchoant, ſi quid videtur mouendum moue. Hipp.

Laſſitudinis declinandæ & ſubmouendę eadem eſt ratio. Gal.

Quæcunque præſentibus iam morbis rectè faceremus melius eſt vt hæc, incipientibus ipſis, aut iam imminentibus antęuertẽdo faciamus. Idem.

Cura magis prodeſt venturis obuia morbis. Serenus. Veniẽti occurrite morbo. Perſ. & principio præſtat quàm fini adhibere medellam.

Morbos futuros prænuntiant, quæ à naturæ ordine receſſerunt. Gal.

Propathia præſenſio eſt, neque enim tacitè obrepunt morbi, ſed plurimi proangelos, id eſt, prænuntios habent, & prodromos ſiue præcurſores, ac præcones. Rhod.

Vt in cœlo nunquàm tempeſtas oritur, quàm non ſigna quædam præcedant: Ita humanam naturam nullus vnquàm afficit morbus, qui non ſigno aliquo poſſit præſagiri.

giri. Diocl.

Corporis & animi valetudines id habent commune, quòd ſanitas in vtroq; vno modo attingitur, virtus enim animi, & ſanitas corporis, in quadam temperie, hæc humorum & partium, illa paſſionum eſt ſita. Mant.

Nec ſolùm ſe ipſum præſtare oportet opportuna facientem, ſed & Ægrum & Aſſidentes & exteriora. Hippocr.

Oportet Ægrum vnà cum medico morbo reluctari. Galen.

Cum morbis fortiter & generoſè pugnãdum. Iſocr.

Æger obediens medico efficitur hoſtis morbo, & medico ſocius, contra verò ſi Medici iuſsis non obediat. Idem.

Ægrotantes qui medico non obtemperant, viciſsim contemnere ac negligere oportet. Æt. & Gal.

Qui plurimum confidunt ac ſi in nullo verſentur diſcrimine,non admodum obſecundant Medicis. Idem.

Ægro timido acimprudenti dicẽda, quibus ipſum futurum firmiori animo ſperas. Idem.

Timido

Timido ſi quando cogaris certam polliceri ſalutem, illis qui ipſius curam gerunt, vera exponito. Idem.

Aegro oportet ſalutem promittere ſemper, ſpemq́; dare. Complexio enim corporis animi affectui ſemper inhæret. Dam.

Aegri nonnulli adeò ſunt timidi, vt antequam ſecti ſint, dum videlicet futurum dolorem expectant, deficiant animo. Proinde à Chirurgo fallendi ſunt. Idem.

Sunt enim cruciatus formidinum ipſis doloribus vehementiores. Xenophon.

Vbi labra vlceris decolorata dura'ue fuerint, excindenda ea ſunt, ad ſanam vſq; carnem. Quum verò altius id malum ſerpit, deliberatione opus eſt, excidendum ne omne ſit. Qua in re certè conſulendus etiam eſt Aeger. Gal.

Aegro aſſideant ac ipſius curam habeãt ij, quorum conſuetudine ipſe oblectatur quàm maximè. Idem.

Niſi medicum Aeger vt deum quẽdam admiretur nunquàm illius præceptis obtemperabit. Gal.

Arrogantes & fortunati non æquis animis audiunt aliorum conſilia. Iſocr.

Multi

Multi temere damnant non ſatis cognita, quæ poſtea maxime probant diligentius conſiderata. Idem.

In his qui à malo victi ſunt, præclara remedia recuſanda. Gal.

His qui de vita periclitantur haud impenſe parcendum. Æt.

Quo in maiore metu ſunt homines, eò diligentius patronos colunt. Iſocr.

In extremis malis homines ad ſupplicationes, & opem deorum immortalium cõfugiunt. Idem.

Galenus votum vouit Æſculapio, qui eum ab apoſtemate mortali liberauit.

Nullum commodius in malis remedium quàm patientia, imò præſtat malam valetudinem bene ferre, quàm male bonam. Amonius.

Nemo læditur niſi à ſe ipſo lædatur, ſi credimus Chryſoſtomo.

Satius multo eſt medicamentorum ſæuitiam tolerare, quàm propter negligẽtiam in diſcrimem adduci. Dioſ.

Facile contemnit omnia, qui ſe ſemper cogitat eſſe moriturum. Hieron.

SELECTORVM
SECTIO TERTIA.

*

De Medico.

TRIA in medico neceſſaria ſunt religio, ſcientia, & exercitium. Religio ſapientem reddet, animũq́; eius à vitijs liberum. ſcientia verò qualis illi conuenit omnigena, & exercitium, perfectum in arte medicum efficiunt.

Vnde rectè dictum ab Hippocrate eſt, quòd ſapientia ſcientiaq́; cum medicina, hæc quoque cum illis miſcetur.

Rurſus ſacræ res, inquit ſanctis oſtendũtur hominib. prauis verò nequaquam.

Medicus cogitet quando ægros adit, ac de vita, vt nihil ſine ratione tẽtare audeat, nihil ſine conſilio. Campeius.

In rebus dubijs variæ ſunt ſententiæ & opiniones, ancipitiq́; conſilio vtendum. Iſocrat.

In grauibus deliberationibus multi ſunt audiendi, & vna veriſſima ſententia ex omnibus deligenda. Idem.

Cautione magna opus eſt, ſi quem præſenti

ſerti autoritate magna prędictum repręhendere velis. Idem.

Cauendum ne plura præter rem, quàm ad rem Medicus dicere videatur. Idem.

Complures Medici vni ægro adhibiti inter ſe potius gratia oſtentationis decernunt, quàm ea diluunt, que laboranti ſalutem afferre poſſint. Patric.

Varia conſilia in maximis periculis rem potius perturbant, quàm adiuuant. nam vel tardant, vel precipitant. Idem.

Tamen niſi diuerſæ inter ſe ſententiæ dicantur, non poteſt quis eligere meliorem: ſed neceſſe habet ea, quæ dicta eſt vti. Herodotus.

Sed illius Hippocratis meminiſſe oportet ὁ δὲ καιρὸς ὀξύς.

Quum quis ambigit, errorem ſuſcipere debet leuiorem. Ariſtotel.

Medicus non modò vtilitati ſtudere debet, ſed mundiciei & elegantiæ. Gal.

Manus puriſſimas Medicus habeat, & in reliquis mundiciem & elegãtiam. Idem.

Neq; aſperè loqui, neq; ſcurriliter adulari Medicus debet, ne ſit Ægro odioſus, vel contemnendus: ſed humanus, moderatus,

iucundusq́; quum ſit, grauitatem etiam ſeruare oportet. Idem.

Medici in honore ſunt, vt qui circa hominem philoſophentur. Philoſtratus.

Nihil eſt in tota rerum natura ipſi Deo charius homine. nam hominis cauſa cuncta genuit natura. Ariſt. & Plin.

Medicus non conſulat ea, quæ in perniciẽ vergant animarum. Melius eſt enim nos ſemper ægrotare, quàm cum Dei cõtumelijs ſanos eſſe. Mantuanus.

Apuleio tamen nihil quod ſalutis ferendæ gratia fit, criminoſum eſt.

Itaq; veteres Medici etiã carmina remedia vulnerum nominant. Idem.

Probãdi qui omnino ſuccurrere periclitantibus ſtudent. Scribo.

Medicorum ſectæ non conuenit cauſas vlli præbere morti, nec exitio, ſed ſaluti hominum medicina quæſita eſt. Apul.

Qui morituris auxilium ſalutare denegarint, contra bonos mores id ipſum fecerint. Idem.

Hippocrates conditor noſtræ profeſſionis initia diſciplinæ à iureiurando tradidit. Idem.

Ne

Ne hoſtibus quidem Medicus malum medicamentum dabit. Qui ſacramento medicinæ legitimè eſt obligatus. Idem.

Medici veteres ægrotantibus imperabant veluti reges ſubditis, & Duces militibus. Gal.

Parabolanos eſſe medicos Acurtius putauit, nomenq́; ſumpſiſſe qui multas haberent parabolas quales multæ leguntur in ſacris literis. Cuius opinio Alciati etiam iudicio ridicula eſt. Hic fuiſſe ait plebeios quoſdam parabolanos, qui famulitio vel eccleſiarum, vel hoſpitalium, xenonum'ue deputati erant & quaſi adſcriptitij glebæ, vt ſicut illis omni vita ab agrorum cultura recedere nō licebat, ita his à ſeruitio Ægrorum, qui in Noſocomis reſidebant.

Sunt igitur parabolani glebæ adſcripticij, à παρὰ & βῶλος, quæ vox pro gleba accipitur. Ad hanc parabolani languentium miniſtri, ſerui, & abiecti famuli, parabolani vocantur.

Veruntamen viſu tactuq́; malorum moleſtia afficitur Medicus & ex alienis calamitatibus proprius colligit dolores, vt inquit Hipp.

Cui altitudo animi & grauitas erat genuina, cuius laudes à ſummis etiam philoſophis Platone & Ariſtotele celebrantur. Ille tamen tantæ excellentiæ & autoritatis fraternæ homines curabat.

Liberæ inquit artis libera ſint & opera.

In medicis ergo plenus miſericordię & humanitatis animus eſſe debet. vt ait Larg.

Medicus duci non debet pecuniæ aut gloriæ cupiditate. Idem.

Contemptus gloriæ atq; pecunię in Medicis requiritur. Marcel.

Chirurgi vnius in Aſpaſiam auaritia notatur apud Ælianum.

Crudelis Medici eſt morbos qui poſſunt paucis diebus vel horis repelli, in longum tempus protrahere, & ægros tanquam in redditu habere. Valerianus.

Merces medico ſi quidem detur, accipiatur, ſed non exigatur, quia quantum quiſq; quis dederit nulla mercede poterit exequare beneficia medicinæ. Soranus.

Emis à Medico rem ineſtimabilem vitam ac valetudinem bonam, cui non rei pretium, ſed operæ ſoluitur. Seneca.

Mercedem non meriti ſed occupationis

ſuæ

ſuæ ferunt Medici. Idem.

Rurſus medicorum inquit apud nos magna caritas, magna reuerentia eſt. Inde Homerus ἰατρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

Vir medicus multis alijs æquandus honore eſt.

Auguſtus Antonium Muſam ob reſtitutam ſibi ſanitatem annulo aureo donauit, id eſt, dignitate equeſtri. non eum ſolùm, ſed omnes qui eandem artem profiterentur. Niceus.

At prudens medicus laboris ſui fructum non in honores, non in fama (quam multi ſæpe falsò acquirunt) ſed in conſcientia po nunt. D. Bernard.

Empedocles ita quorundam fœlicitatem commendat apud Theodoritum.

Hymnidici vates, artis medicæq; periti
Mortales cunctos primi poſt terga relinquunt.
Sunt vbi Dij ſuperi magnis in honoribus aucti.

Rectè dictũ eſt mortales maximè Deũ imitari, quando benefici ſunt. Strabo. nam Deus eſt mortali iuuare mortalem. Plin.

Medici ſinguli ſingulorum morborum non plurium ſunt, apud Ægyptios. Herodotus.

Quibus leges adſunt plurimæ, ac pœnæ plurimæ his & viuendi ritus deprauatus eſt. Strabo.

Sicut quibus plures adſunt Medici, his & ægritudines permultas adeſſe probabile eſt. Idem.

Indi nullas artes exquiſitè diſcunt præter medicinam. Eſtq; maxima medicorum ſchola in Cilicia. Idem.

Patroclum Achilles medicinam docet. Achillem Chiron erudit diſciplinas nimirum heroës tantùm, & Deorum filij exercebant. Ælianus.

Medicinam inuenit Apollo, amplificauit Æſculapius, perfecit Hippocrates, ex Sorano.

Præſtantiſſimi apud Xenophontem & Plutarchum medici fuerunt Oſiris & Iſis, Bachus & Chiron.

Fama eſt Pythagoram Pythagoricosq; ſummum ſtudium medendi facultati impendiſſe. Plato etiam & Ariſtoteles plurimum curæ in eam contulerunt vt refert Æl. & Philelphus.

Ariſtoteles quum morbo teneretur, & Medicus ei præceptum quoddã iniũgeret,

prius

prius, inquit, cauſam ediſſere, ſic enim facili perſuaſione me morigerum reddideris. Docens his, nil ſine cauſa, temereq́; proferendum eſſe. Æl.

Medici credunt ſeplaſiæ, medicamina omnibus quidem fraudibus corrumpenti. Plinius.

Medici tempore Hippocratis chirurgiam diſcebãt, ea nunc à Medicis vel nullo modo addiſcitur, vel exiguo temporis ſpatio. Gal.

Attamen anatome lacertorum Chirurgo neceſſaria eſt. non item Medico. ſi creditur Auerrhoi.

Medicus nobilis & honoratus ſolo medetur conſilio. Chirurgi verò & reliqui Medicorũ miniſtri,manus artificio. Auenzoar.

Conſtat naturam ſolam ſine opera medici poſſe agere. Aliâs medicum ſolum ſine naturæ auxilio ſubuenire. Aliâs naturam ſimul & Medicum opitulari. Aphrodiſeus, Gal.& Auer.

Multitudo cogitationum iudicium impedit. Ex quo interdum ſapientiſſimi falluntur. & contemptus homuncio dat optimum conſilium. Socrates.

Similitudines etiam non ſolùm vulgares, ſed etiam Medicos eruditos aliquando decipiunt. Gal.

Sapientem igitur oportet à veris veriſimilia diſcernere, vt iubet Hipp.

In quouis ſtudio viles permultos, probos verò paucos eſſe Plato ſcribit.

Argumentum inſcitiæ eſt à ſapientibus diſſentire. Idem.

Inter ſapientiam & ignorantiam media eſt recta opinio. Idem.

Coniectura artificioſa media eſt inter exactam ſcientiam & omnifariam ignorantiam. Gal.

Scientiarum poſſeſſio abſq; optimi cognitione, nocua eſt. Plato.

Medicina ſcientia vtiliſſima eſt, & ſi quæ ſint fraudes medentium, non ſunt artis iſta, ſed hominum. Plin.

Medicus adiuuare naturam debet ad ſalutem decertantem contra morbum. Æt.

70 Hippocrati ob meritum honores illos, quos Herculi decreuit Græcia. Plin.

Medicus taciturnitatem oportunam vel ſermonem vtilem habere debet. Sitq; potius φιλόλογος, quàm πολύλογος. vt ſolùm

de his loquatur quæ clarè nouerit, vel de quibus eſt neceſſarium dicere. Eſt enim vt ait Menander

ἰατρὸς ἀδόλεσχος νόσοῦντι πάλιν νόσος, id eſt, *Medicus loquax languenti alter morbus.*

Non ſubito ac temere pronunciandum. Iſo.

Qui euidentibus diffidit inſenſatus eſt. Qui verò de dubiis prompte enunciat, temerarius eſt. Gal.

Ille melior eſt qui minus errat. Galen. proinde nemo tantum ingenio ſuo fidere debet, vt amicorum conſilia aſpernetur.

Stultus eſt qui facile peccat, ſapiens qui non facile. Plato.

Philoſophus curat vt apud vulgus fiat plurimi, idq; meritò. Quum ſi ipſum omnes ſuſcipiant & admirentur, futurum haud dubiè, vt eius facta imitemur. Ipſiusq; inſtitutis, veluti alicuius numinis iuſſis, pareant & obſecundant. Gal.

Tria potiſſimùm philoſophus vitare debet, venerea, auaritiam, & ambitionem. Ex Platonicis.

Nulli credendum eſt quantumuis literato Medico, niſi ætatem habenti & experto. Dam.

Medici boni munus eſt, non quæ iam Idiotis apparent, præſagire, ſed & quæ ipſos latent, & quum Æger nihil mali habere putatur, cernuntur. Gal.

Optimus cuiusq; particularis ægritudinis Medicus eſt, qui methodum comparauit ex qua & dignoſcere naturas poſſit, & coniectura conſequi: quæ ſint cuiuſq; propria remedia. Idem.

Homo nihil carius aut coniunctius habet corpore & vita ſua, ad cuius defenſionem & incolumitatem pleræq; noſtrę actiones referuntur. Iſocr.

Vnde rectè conſulit Palumides.

ἔςω σοι μενεδλώνων πρώτη φροντὶς ὑγείας.

Natura hominum, arte medendi tueri ſe, atque defendere ſolet. Theophraſtus.

Tantum ſcit homo quantum operatur. Mirandula. nam oportet philoſophiam in opus deducere. vt Antiſtenes.

Philoſophia cum fortuna & diuitijs non coniungitur, nam vbi plus fortunæ, ibi ſapientiæ minus, vbi maior intellectus ineſt, adeſt fortuna plerunq; minor. ex Ariſtotel. Proclo, & Mont.

Qui fortunam propitiam habent, difficilima

cilima queq; facilimè conficiunt. Iſocrates.

Si fortunam definias, requirenda eſt euentus cauſa deus ſcilicet, & ipſe euentus. Mant.

Tanta eſt corporis & animæ neceſſitudo, vt ſua bona ac mala omnia velint nolint inuicem communicent. Propterea neque ſine animo corpus, neque ſine corpore animus bene valet in vita. Ex Platone.

Conſultamus de his, quæ in noſtra ſunt poteſtate, & quæ à nobis fieri poſſunt, quæq́; incertum habent finem. Nemeſius.

Expertis credere debemus vt præcipit Theophraſtus. Experientia enim peperit prudentiam.

Dum natura ſatis ſibi non eſt, hæc per artem aſſumit. Idem.

Ob id, morbo & naturæ intentum medicum eſſe Gal. iubet.

Optimum bene valere, ſecundum formoſum eſſe, tertium habere diuitias nulla fraude quæſitas. Pulchra autē ſunt quæcunque vtilitatem aut voluptatem, aut vtrunq; afferunt. Plato.

IN LAVDEM ARTIS MEDICÆ ERASMI ROT. DECLAMATIO.

*

Attentio.

QVO Sæpius eſt ars medicinæ, meditatis & elaboratis orationibus, hoc ex loco, apud pleroſq; veſtrum prædicata, idq́; à viris ſingulari facundia præditis, auditores celeberrimi, hoc mihi ſane eſt fiduciæ, me vel tantæ rei, vel aurium veſtrarum expectationi ſatisfacturum. Neque enim rem prope diuinam noſtra facile aſſequetur infantia, neque vulgaris oratio de re toties audita tædium poſsit effugere. Veruntamen ne ſalutari maiorum inſtituto videar deeſſe, qui ſolemni encomio iuuentutis animos ad huius præclaræ ſcientiæ ſtudium, admirationem, amorem, excitandos, accendendos, inflammãdoſq́; cenſuerunt,

Propoſitio.

experiar & ipſe pro mea virili (ſiquidem me dicentem adiutabit veſtra tum attẽtio, tum humanitas, fauore candido proſequentes, quem ad hoc muneris veſtra adegit autoritas) medicæ facultatis dignitatem, autorita

toritatem, vſum, neceſsitatem non dicam explicare, quod prorſus infiniti fuerit negotij, ſed ſummatim modò perſtringere, ac veluti confertiſſimas locupletiſſimæ cuiuſpiam reginæ opes, per tranſennam (vt aiũt) ſtudioſorum exibere conſpectibus. Cuius quidem ea vel præcipuè laus eſt, Primùm quod nullis omnino præconijs indiget, ipſa abunde per ſe vel vtilitate, vel neceſsitate commendata mortalibus. Deinde quod toties iam à tam præclaris ingenijs prædicata, ſemper tamen nouam laudum ſuarum materiam, ingenijs etiam parum fœcundis ex ſeſe ſuppeditat, vt nihil neceſſe ſit, eam vulgato more inuidioſis illis contentionibus, non ſine cæterarum diſciplinarum cõtumelia deprædicare. Quin illud magis me tuendum, ne domeſticas illius dotes, ne germanam ac natiuam amplitudinem, ne maieſtatem humana conditione maiorem mortalis oratio non aſſequatur. Tantum abeſt, vt vel aliena contumelia, vel aſcititijs Rhetorum fucis, aut amplificationum præſtigijs ſit attollenda. Mediocriũ eſt formarum, & deformiorum comparatione, aut cultus lenocinijs commendari. Res per ſe

Laudandi ratio per cõparationem.

Γνωμη Dignitas & autoritas medicinæ.

ſe vereq́; præclaras, ſatis eſt vel nudas oculis oſtendiſſe. Iam primum enim (vt ad rem feſtinemus) reliquæ artes, quoniam nulla non magnam aliquam vitæ commoditatem attulit, ſummo quidem in precio fuere.

Inuentio artis.

Verùm medicinæ quondam tam admirabilis fuit humano generi inuentio, tam dulcis experientia, vt eius autores, aut planè pro dijs habiti ſint, velut Apollo, & huius filius Æſculapius, imò (quod ait Plinius) ſingula quoſdam inuenta deorum numero addiderunt, aut certè diuinis honoribus digni ſint exiſtimati, velut Aſclepiades, quem Illyrici numinis inſtar receptum, Herculi in honoribus æquarunt. Non equidem probo quod fecit antiquitas, affectum ſanè ac iudicium laudo, quippe quæ rectè & ſenſerit & declararit, docto fidoq́; medico nullum ſatis dignum premium perſolui poſſe.

Torquet exemplũ in ſuũ commodũ.

A difficultate.

Etenim ſi quis ſecum reputet, quàm multiplex in corporibus humanis diuerſitas, quãta ex ætatibus, ſexu, regionibus, cœlo, educatione, ſtudijs, vſu varietas, quàm infinita in tot milibus herbarum (ne quid interim dicam de cæteris remedijs) quæ alibi aliæ naſcuntur, diſcrimina. Tum quot ſint mor

morborum genera, quæ trecenta nominatim fuiſſe prodita ſcribit Plinius, exceptis generum partibus, quarum omnium quàm nullus ſit numerus, facilè perpendet, qui tãtum norit, quot formas in ſe febris vocabulum complectatur, vt ex vno cætera æſtimentur, exceptis his qui quotidie noui accreſcunt, neque ſecus accreſcunt, quàm ſi de compoſito cum arte noſtra bellum ſuſcepiſſe videantur. Exceptis venenorum plus mille periculis, quorum quot ſpecies ſunt, tot ſunt mortis genera, totidem remediorum differentias flagitantia. Exceptis caſibus quotidianis lapſuum, ruinarum, ruptionum, aduſtionum, luxationum, vulnerum, atque his conſimilium, quæ prope cum ipſo morborum agmine ex æquo certant. Denique qui cogitet, quanta ſit in corporum cœleſtium obſeruatione difficultas, quæ niſi cognoris, ſæpenumero venenum erit, quod in remedium datur. Ne quid interim commemorem, ſæpe fallaces morborum notas, ſiue coloris habitum ſpectes, ſiue lotij ſigna rimeris, ſiue pulſus harmoniam obſerues, velut hoc agentibus malis vt hoſtem medicum fallant & imponãt.

Longum hyperbaton.

Tan

Tantum vndiq; ſeſe offundit difficultatum, vt mihi difficile ſit omnes, vel oratione proſequi. Sed vt dicere cœperam, has omnes rerum varietates ſtudio perſequi, obſcuritates ingenio aſſequi, difficultates induſtria peruincere, ac penetratis terræ fibris, excuſsis vndiq; totius naturæ arcanis, ex omnibus herbis, fruticibus, arboribus, animantibus, gemmis, ex ipſis denique venenis, cunctis humanæ vitæ malis efficacia quærere, atque horum opportunum vſum ex tot autoribus, tot diſciplinis, imò & ab iſtis ſyderibus petere. Hæc inquam, tam abdita rimari cura, tam ardua viribus animi adipiſci, tam multa memoria complecti, tam neceſſaria ad ſalutem vniuerſi mortalium generis in commune proferre, nónne prorſus homine maius ac plane diuinum quiddam fuiſſe videtur? Abſit inuidia verbis. Liceat id quod vero verius eſt ingenue prædicare. Non me iacto, ſed artem ipſam affero. Etenim ſi dare vitam proprium Dei munus eſt, certe datam tueri, iamq; fugientem retinere, Deo proximum fateamur oportet. Quanquam ne prius quidem illud, quod nos ſoli Deo proprium eſſe

Diuina res medicina. Laus ab effectu.

eſſe volumus medicorum arti detraxit antiquitas, vt credula, ita gratiſſima. Nam Æſculapij quidem ope Tyndaridam, & poſt eum complures ab Orco in lucem rediſſe credidit. Aſclepiades hominem exanimatum, elatum, comploratumq; ab rogo domum viuum reduxiſſe legitur. Xanthus hiſtoricus catulum Leonis occiſum, præterea & hominem quem Draco occiderat, vitæ redditum fuiſſe, poſteris prodidit, herba quam halin nominant. Ad hæc Iuba, in Africa quendam herba reuocatum ad vitam, teſtis eſt. Neq; verò laborauerim, ſi ſint apud quos hæc fide careant. Certè (quod agimus) admirationem artis tanto magis implent, quanto magis ſupra fidem veri ſunt, & immenſum eſſe fateri cogunt id quod vero ſuperſit. Quanquam quantum ad eum attinet, qui vitę redditur, quid refert vtrum anima denuo in artus relictos diuinitus reponatur, an penitus in corpore ſepulta, morbiq; victoris oppreſſa viribus, arte curaq; medici ſuſcitetur atque eliciatur, iamq; certò migratura retineatur? An non pene paria ſunt mortuum reſtituere, & mox moriturum ſeruare? Atqui per multos nomina-

Ars medicorum & mortuos excitare credita eſt

tim recenſet Plinius libro hiſtoriæ mundanæ ſeptimo, qui iam elati partim in ipſo rogo, partim poſt dies compluſculos reuixerint. Miraculum eſt, quod paucis dedit caſus. Et non magis mirandum, quòd quotidie multis largitur ars noſtra? Etiamſi hanc deo Opt. Max. debemus, cui nihil non debemus, ne quis hæc à me putet arrogantius dicta, quàm verius. Complurium morborum ea vis eſt, vt certa mors ſit niſi pręſens adſit medicus, veluti ſtupor is, qui mulieribus potiſſimùm ſolet accidere, veluti ſyncopis profunda, paralyſis, apoplexia. Neque deſunt vlli vel ſæculo, vel genti ſua in hanc rem exempla. Hic qui mortem ingruẽtem arte ſua depellit, qui vitam ſubitò oppreſſam reuocat, nónne ceu numen quoddam dextrum ac propitium ſemper habendus eſt? Quot cenſes homines ante diem ſepultos fuiſſe priuſquàm medicorum ſolertia, morborum vires, & remediorum naturas deprehẽderat? Quod hodie mortalium milia viuunt, valentq́;, qui ne nati quidem eſſent, niſi eadem hæc ars, & tot naſcendi diſcriminibus remedia, & obſtetricandi rationem reperiſſet? Deo ſtatim in ipſo vitę limine,

Initium vitæ medicis debetur.

ne,

ne,& pariens ſimul & naſcens,ſalutare medicorum opem, miſerabili voce implorat. Horum arti vitam debet, & qui nondum vitam accepit,dum per eam prohibentur aborſus, dum mulieri ſeminis recipiendi retinendiq; vis confertur, dum pariendi facultas datur. Quod ſi verè dictũ eſt illud:Deus eſt iuuare mortalem,profectò mea ſententia aut nuſquàm locum habebit illud nobile Græcorum adagium ἄνθρωπος ἀνθρώπου δαιμόνιον,aut in medico fido proboq; locum habebit,qui non iuuat modò, verumetiam ſeruat. An non igitur ingratitudine ipſa videatur ingratior, ac ipſe prope vita indignus, qui medicinam alteram ſecundum Deum, vitæ parentem, tutricem, ſeruatricem,vindicem non amet,non honoret,nõ ſuſpiciat,nõ veneretur? Cuius præſidijs nunquàm vlli non eſt opus.Nam reliquis quidẽ artibus, nec ſemper nec omnes egemus. Huius vtilitate mortalium omnis vita conſtat. Nam fac abeſſe morbos, fac omnibus proſperam adeſſe valetudinem, tamẽ hanc quî poterimus tueri, niſi medicus ciborum ſalutarium,ac noxiorum diſcrimen,niſi totius victus,quam Græci diætam vocant,ra-

παροιμία.

Ab vtilitate perpetua.

Senectam remoratur ars medicorum.

tionem doceat? Graue mortalibus eſt onus ſenecta, quam non magis licet effugere, quàm mortem ipſam. Atque ea medicorum opera multis contingit, tum ſerius, tum multo etiam leuior. Neq; enim fabula eſt, quinta, quam vocant, eſſentia, ſenio depulſo hominem velut abiecto exuuio, reiuueneſcere, cùm extent aliquot huius rei teſtes. Neq; verò corporis tantùm, quæ vilior hominis pars eſt, curam gerit, imò totius hominis curam agit, etiamſi Theologus ab animo, medicus à corpore ſumet initium. Siquidem propter arctiſſimam amborum inter ſe cognationem & copulam, vt animi vitia redundant in corpus, ita viciſſim corporis morbi animæ vigorem aut impediũt, aut etiam extinguunt. Quis æquè pertinax ſuaſor abſtinentiæ, ſobrietatis, moderandæ iræ, fugiẽdæ triſtitiæ, vitandæ crapulæ, amoris abijciendi, temperandæ Veneris, atque medicus? Quis efficacius ſuadet ęgroto, vt ſi viuere velit, & ſalutarem experiri medici opem, prius animum à vitiorũ colluuie repurget? Idem quoties vel dieterica ratione, vel ope pharmaceutica bilẽ atram minuit, labantes cordis vires reficit, cerebri ſpiritus fulcit

Totum hominẽ curat medicus.

fulcit,mentis organa purgat,ingeniũ emendat, memoriæ domicilium ſarcit, totumq́; animi habitum cõmutat in melius, non'ne per exteriorem, vt vocant, hominem, & interiorem ſeruat? Qui phreneticum,lethargicum,maniacum, ſyderatum, lymphatum reſtituit non'ne totum reſtituit hominem? Theologus efficit vt homines à vitijs reſipiſcant,at medicus efficit,vt ſit qui poſſit reſipiſcere. Fruſtra ille medicus ſit animæ,ſi iã ſugerit anima,cui paratur antidotus. Cùm impium hominem ſubitò corripuit paralyſis,apoplexia, aut alia quædã præſentanea peſtis,quæ vitam prius adimat,quàm vacet de caſtiganda cogitare vita,hunc qui reſtituit,alioquin infeliciter in ſuis ſceleribus ſepeliẽdum,non'ne quodam modo tum corpus,tum animũ ab inferis reuocat? In eum certè locum reponit hominem,vt ei in manu iam ſit,ſi velit æternam mortem fugere. Quid ſuadebit lethargico Theologus, qui ſuadentẽ non audiat? Quid mouebit phreneticum,niſi medicus prius atram bilem repurgarit? Pietas cæteræq́; virtutes, quibus Chriſtiana conſtat felicitas, ab animo potiſſimùm pendent,haud inficior. Cæterùm

quoniam is corpori illigatus, corporeis organis velit nolit vtitur, ſit vt bona pars bonæ mentis à corporis habitu pendeat. Permultos homines infelix corporis temperatura, quem Græci modò κρᾶσιν modò σύνκμα vocant, velut inuitos ac reclamantes, ad peccandum pertrahit, dum animus inſeſſor fruſtra moderatur habenas, fruſtra ſubdit calcaria, ſed equum ferocientem in præcipitium ſequi cogitur. Animus videt animus audit: ſed ſi oculos occuparit glaucoma, ſi aurium meatus craſſius humor obſederit, fruſtra vim ſuam habet animus. Odit animus, iraſcitur animus, at vitioſus humor mētis organa obſidens in cauſa eſt, vt oderis, quem amore dignum iudices, iraſceris cui nolis iraſci. Philoſophiæ ſummam in hoc ſitam eſſe fatetur Plato. Si rationi pareant affectus, atque ad eam rem præcipuus eſt adiutor medicus, hoc agens, vt ea pars hominis vigeat ſapiatq́;, cuius arbitrio geruntur, quęcunq; cum laude geruntur. Si hominis vocabulo cenſentur indigni, qui pecudum ritu rapiuntur cupiditatibus, huius nominis dignitatem bona ex parte debemus medicis, id cùm maximum ſit in ſin-

Temperaturam corporis emendat medicus.

A ſimili.

Plato.

gulis

gulis ac priuatis, quanto præclarius eſt beneficium,cũ id præſtatur in principe?Nulla fortuna magis eſt obnoxia malis huiuſmodi,quàm feliciſſimorum regum, Quos autem rerum tumultus ciet vnius homunculi vitiatum cerebrum? Fruſtra reclament qui ſunt à conſilijs, furioſo principi, ad te redi, ni medicus arte ſua neque volenti ſentienti ſuam mentem reddiderit. Si Caligulæ fidus adfuiſſet medicus, non vſq; ad pugionum ac venenorum ſcrinia in perniciem humani generis inſaniſſet. Atq; ob eam ſanè cauſam publica conſuetudine receptum eſt apud omnes orbis nationes,ne princeps vſque gentium agat abſq; medicis.Proinde cordati principes,nulli vnquã arti plus honoris habuerunt, quàm medicinæ. Quandoquidem Eraſiſtratus(vt reliquos taceam) Ariſtotelis ex filia nepos,ob Antiochum regem ſanatum, centum talentis donatus eſt à Ptolemæo huius filio.Quin & diuinę literæ iubent medico ſuum haberi honorem, non tantùm ob vtilitatem,verumetiam ob neceſſitatem,vt in cæteros benemeritos ingratitudo,ſit in medicum impietas, quippe qui tanquam beneficij diuini adiutor, id

Principibus maximè neceſſarius medicus.

Ab exẽplo.

Honos habitus medicinæ.

Honora medicum.

arte ſua tuetur, quod optimũ nobis & chariſſimum largitus eſt Deus, videlicet vitam.

A ſimilibus. Parentibus nihil non debemus, quod per hos vitæ munus accepiſſe quodammodo videmur. Plus mea ſententia debetur medico, cui toties debemus, quod parentibus ſemel duntaxat debemus, ſi tamen illis debemus. Pietatem debemus his, qui hoſtem à ceruicibus depulit, & medico non magis debemus, qui pro nobis ſeruandis cum tot capitalibus vitæ hoſtibus quotidie depugnat? Reges ceu deos ſuſpicimus, quia vitæ, necisq́; ius habere creduntur, qui tamẽ vt poſsint occidere, certè vitam non aliter dare poſſunt, niſi quatenus non eripiunt, quemadmodum ſeruare dicuntur latrones, ſi quem non iugulent, nec aliam tamen vitam dare poſſunt, quàm corporis. At quanto propius ad diuinam benignitatem accedit medici beneficium, Hominem iam inferis deſtinatum arte, ingenio, cura, fideq́; ſua, velut ex ipſis mortis faucibus retrahentis? Alijs in rebus profuiſſe ſit officium, cæterùm in certo corporis animiq́; periculo ſeruaſſe, pluſquàm pietas eſt. Adde his quòd quicquid in homine magnum eſt,

erudit

eruditio, virtus, naturæ dotes, aut ſi quid aliud, id omne medicorum arti acceptum feramus oportet, quatenus id ſeruat, ſine quo ne reliqua quidem queant ſubſiſtere. Si omnia propter hominem, & hominem ipſum ſeruat medicus, nimirum omnium nomine gratia debetur medico. Si non viuit, qui morbis obnoxius, & vitam ſalubrem aut reddit aut tuetur medicus, an non conuenit hunc ceu vitæ parentem agnoſcere? Si res exoptãda eſt immortalitas, hanc medicorum induſtria, quoad licet meditatur, quæ vitam in longũ prorogat. Quid enim hîc notiſſima referam exempla, Pythagoram, Chryſippum, Platonem, Catonẽ cenſorium, Antonium, Caſtorem, cumq; his innumerabiles, quorum pleriq; medicinæ obſeruatione, vitam ab omni morbo liberam neq; fatiſcente ingenij vigore, neque concuſſa memoriæ ſoliditate, neque fractis aut labefactatis ſenſibus, vltra centeſimum annum prorogarunt? An non iſtuc eſt immortalitatis, quam ſperamus, hîc iam nunc imaginem quãdam exhibere? Chriſtus ipſe immortalitatis autor ac vindex vnicus corpus aſſumpſit, mortale quidem illud, ſed tamen

Sanitatis cuſtos medicus.

Exempla.

Chriſtus nõ ægrotauit.

 nullis

nullis morbis obnoxium. Crucem non horruit, morbos horruit. An non pulcherrimũ fuerit, nos principem noſtrum in hoc quoq; pro viribus imitari? Apoſtolos, quorum nemo ferè non multam vixit ætatem, cæſos legimus, interfectos legimus, ægrotaſſe non legimus. Quocunq; pacto hoc illis contigit, certè præſtat idem ars medicorũ, quod illis præſtitit ſua felicitas. Nec enim audiendos arbitror, qui nobis non minus indoctè, quàm imprudenter ſolent illud obijcere.

Confutatio. Virtus in infirmitate perficitur, ſomniantes Paulum graui capitis dolori fuiſſe obnoxium, cùm ille infirmitatem vel animi tentationem, vel quod vero proprius eſt, improborum hominum moleſtam inſectationem appellet. Atq; idem Paulus, inter apo-

Donum curationis. ſtolicas dotes, donum curationis recenſuit. Iam auget & illud non leui argumento medicinæ gloriam, quod & Cæſarearum legum maieſtas, & pontificiarũ autoritas ſeſe vltro medicorum iudicio ſubmittit, velut in quæſtionibus pubertatum, partuum ac veneficiorum. Item in quæſtionibus aliquot ad matrimonium facientibus. O noua dignitas medicinæ. Agitur de capite hominis,

& iudi

& iudicis ſententia pendet ex medici præiudicio. Summi pontificis pietas, ſi quid indulget, in nonnullis non aliter indulget, niſi medicorum accedat calculus. Atq; in decretis Romanus pontifex, epiſcopũ eum qui delatus fuerat, tanquã fœdo immaniq; morbo obnoxius, ex medicæ rei iudicio cenſet, aut amouẽdum epiſcopatu, aut ſuo loco reſtituendum. Diuus item Auguſtinus ex medicorum conſilio fieri iubet, quod faciendum eſt, etiamſi nolit ægrotus. Idem honorem medico debitum hoc eſt artis & induſtriæ premium, rectè eripi ſcribit ab eo qui detinet, velut ab iniuſto poſſeſſore, & quod alienum eſt mala fide occupante. Quin ij quoq;, qui conceptis præcaminibus, dæmones impios è corporibus humanis exigunt, non rarò in conſilium adhibent, velut in his morbis, qui ſecretis rationibus, quædam ſenſuum organa ſpiritusq; vitiant, & adeò dæmoniacam ſpem imitantur, vt niſi à peritiſſimis medicis diſcerni non queant, ſiue ſunt craſſiores aliqui dæmones, vt fertur illorum varia natura, qui medicam etiam opem ſentiant, ſiue morbus adeò penitus intimis animi receſſibus inſidet,

inſidet, vt à corpore videatur alienus. In cuius rei fidem, dum ex innumeris mihi cō-
Exemplum. pertum exemplum refero, quæſo vt me patienter audiatis. Panaceum celeberrimi nominis medicum adoleſcēs colui, is me teſte quendam reſtituit, nomine Phlyarium, patria Spoletanũ, qui ex vermibus in nouum manię genus inciderat, ita vt in morbo probè teutonicè loqueretur, quod (vti conſtabat) ſanus nunquam potuerat. Quis imperitus rei medicæ, non hunc demoniacum vel deieraſſet etiam? At is hominem facili paratoq; remedio menti reddidit. Redditus ſibi, teutonicè nec loquebatur, nec in-
Detorquet. telligebat. Quòd ſi quis hunc vere dæmociacum fuiſſe contendat, ea ſanè res vel maxime medicorum illuſtrat artem, cui compertum eſt, & dæmones impios parere, quemadmodum in reſtituenda vita, ita & in exigendis ſpiritibus diuinæ virtutis tum miniſtræ, tum æmulæ. Neq; verò deerant, qui factum hoc magicis artibus tribuebant, quorum ego calumniam arti noſtræ gloriæ laudiq; verto, per quam ea præſtantur, quæ vulgus hominum humanis viribus præſtari poſſe non credit. Optimo igitur iure, priſcis

ſæculis,

ſæculis, cùm nondum ſordidi quæſtus & ſpurcę voluptates vitiaſſent omnia, medēdi ars inter omnes vna, diuinis ac ſummatibus viris, opulentiſſimis regibus, clariſſimis ſenatoribus præcipuè cordi fuit, nec alia mortalium generi gratior. Siquidem Moſes ille magnus, non alia ratione, quàm artis medicę, cibos ſuos diſtinxiſſe creditur. Orpheus Græcorum vetuſtiſſimus, de viribus herbarum nonnulla prodidiſſe legitur. Homerus ipſe, citra controuerſiam, vnicus ingeniorum fons, plurimus eſt & in herbarum commemoratione, & in laude medicorum. Is & Moly nobis depinxit, herbarũ omnium (teſte Plinio) laudatiſſimam, efficacem aduerſus veneficia. Cuius inuentionem Mercurio tribuit, hac Vlyſſem ſuum aduerſus Circes pocula præmuniens. Idem Nepenthes indicat in conuiuijs adhibēdum, quod mœrorem triſtitiamq; diſcutiat. Porrò Machaonem, Pæonem, Chironem, Podalirium, vt hac arte præſtantes, ſæpicule non ſine honore commemorat, quorum arte non ſolùm heroibus, verùm ipſis etiam dijs ſubuentum eſſe fingit. Illud videlicet ſubindicans, ſummis etiam principibus medico-

rum

Quibus culta medicina.

Moſes.

Orpheus.

Homerus.

Moly.

Nepenthes.

Machaon.
Pæon.
Chiron.
Podalirion.

rum præſidijs opus eſſe. Atque horum vitam medicis in manu eſſe, qui in cæteros omneis ius vitæ ac necis habere videntur. Quid quod idem Poëta libro Iliados vndecimo, huius artis profeſsionem longe pulcherrimo nobilitauit elogio? cùm ait: Vnū medicum pluris habendum, quàm cæterorum hominum permultos. Rurſum alibi, medicum ita notat, vt dicat eum eruditum in omnibus, palàm teſtans id quod res eſt, hanc artem non vna aut altera diſciplina, ſed omnium artium cognitione circuloq; tum præter exactū ingenium, multo etiam rerum vſu conſtare. Pythagoras ille Samius, cui diuinitatem quandam tribuebat antiquitas, de naturis herbarum nobile volumē reliquiſſe legitur. Atq; vt Platonem, Ariſtotelem, Theophraſtum, Chryſippum, Catonem cenſorium, Varronem prætercam, quibus ſtudio fuit hanc artem ſuis vel ſtudijs, vel negocijs admiſcere. Mithridatem Ponti regem, non perinde regnum, alioqui locupletiſsimum, non tam vnius & viginti linguarum miraculum, quàm rei medicæ peritia nobilitauit vereq; magnum virum declarauit, qui artis huius commentationes,

ἰατρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων.

& exemplaria, affectusq́; in arcanis reliquit, vt autor eſt Plinius. Cuius & hodie nobile Theriacæ genus nomine celebratur. Nunc ferè regium habetur, aleam ludere, venari, nugas agere. At olim populi Romani principibus nihil magis erat curæ, quàm vt ex longinquo nouis importandis herbis, rem medicam adiuuarent, neq; populo illi tum orbis domino non aliud erat munus gratius. Quidquid Chriſtus ipſe diſciplinarum omnium & autor & princeps, ſeſe non Iureconſultum, non Rhetorem, non Philoſophum, ſed medicum profeſſus eſt, dum de ſe loquens, negat opus eſſe medico ijs, qui bene habeant, dum Samaritanus vulneribus oleum ac vinum infundit, dum ſputum terræ mixtũ illinit oculos cæci. Quid quod idem, hac potiſsimùm commendatione, cùm adhuc orbi eſſet ignotus, ſeſe paulatim in animos atq; affectus hominum inſinuauit, non auro, non imperijs, ſed morborum remedijs? Quod ille nutu fecit, nempe Deus, hoc medicus pro virili ſua cura imitatur. Neq; deeſt his quoq; diuina vis, nimirum medendi viribus in hunc vſum rebus à Deo inditis. Nec alio viatico magis inſtruxit

Chriſtus ipſe medicus.

xit Apoſtolos, mandans vt hoc protinus officio ſibi deuincirent hoſpitem, medentes, inquit, morbis illorum, & vngẽtes oleo.

Paulus medicus.

Paulus ille magnus dũ Timotheo ſuo modicum vini præſcribit vſum, ad fulciendam ſtomachi imbecillitatem, non'ne palàm medici partibus vtitur? Sed quid hoc mirum

Raphaël.

in Apoſtolo, cùm Raphaël angelus Tobiæ cæcitati medicans hinc nomen etiam inuenerit apud arcanarum rerum ſtudioſos? O cœleſtem vereq; ſacram diſciplinã, cuius cognomento diuæ illæ mentes inſigniuntur. Inter mortales alias artes vel diſcunt, vel profitentur, hanc vnam oportebat ab omnibus diſci, quæ nulli non eſt neceſſaria. Sed ô heu peruerſiſsima hominum iudicia. Nemo neſcire ſuſtinet, quis nummus legitimus ſit, quis adulterinus, ne quid fallatur in re viliſsima, nec ſcire ſtudio eſt, quibus modis id quod habet optimum, tueatur. In numiſmate non credit alienis oculis, in negocio vitæ ac ſanitatis, clauſis, quod dicitur oculis, ſequitur alienum iudicium. Quod ſi totius artis abſoluta cognitio non poteſt niſi paucis contingere, qui totam vitam huic vni ſtudio dedicarunt, certè partem

eam,

eam, quæ ad tuendam valetudinem pertinet, non conueniebat quenquam neſcire. Etiam ſi bona pars difficultatis, non ab ipſa arte, ſed ab improborum medicorum vel inſcitia, vel ambitione proficiſcatur. Semper apud efferas etiam ac barbaras nationes ſanctum ac venerabile fuit amicitiæ nomen. Atque is ægregius habetur amicus, qui ſe fortunæ vtriuſque comitem ſociumq́; præbeat, quòd vulgus amicorum velut hirundines æſtate, rebus ſecundis adſunt, rebus aduerſis, quemadmodum illæ ingruente bruma deuolant. At quanto ſyncerior amicus medicus, qui Seleucidum auium exemplo, quas narrant nuſquam à Caſij montis incolis conſpici, niſi cùm illarum præſidio eſt opus, aduerſus vim locuſtarum fruges vaſtantium, rebus integris ac lætis nuſquam ſeſe ingerit in periculis, in his caſibus, in quibus vxor ac liberi ſæpe deſerunt hominem velut in phreneſi, phthiriaſi, in peſte ſolus medicus conſtanter adeſt, & adeſt non inutili officio, quemadmodum plerique cæterorum, ſed adeſt opitulaturus, adeſt pro capite periclitantis cum morbo dimicans, nonnunquam ſuo quoque periculo. Et eo plus quàm ingratos, qui talis

A ſimili.

Seleucides.

amici officio ſeruati, iam depulſo periculo medicum odiſſe poſſunt, ac non potius parentis vice colunt ac venerantur. Vulgarem amicum, qui ſubinde ſalutat obuium, ad cœnam rogant, qui latus claudit, officio penſant, & talem amicum vbi deſierint egere, auerſantur? & ob hoc ipſum auerſantur, quod intelligant illius officio nullam meritis parem gratiam rependi poſſe. Quod ſi is optimus vir eſt, qui maximè prodeſt Reipublicæ, ars hæc optimo cuique viro diſcenda

A quæſtu. eſt. Iam verò ſi qui ſint, qui rerum precia malint vtilitate quæſtuq; metiri (licet hæc ars diuinior eſt, quàm vt huiuſmodi rationibus ſit æſtimanda) ne hac quidem parte cuiquam aliarum cedit artium: neque enim vlla magis fuit frugifera, & ad rem ſubitò parandam æquè pręſentanea. Eraſiſtratus cuius ante memini, à rege Ptolemæo, Critobolus ab Alexandro Magno, præmijs ingẽtibus ac vix credendis donati leguntur. Quanquàm quod tandem præmium non exiguum videatur, repenſum ſeruatori capitis, pro cuius vnius ſalute tot hominum millia depugnabant? Quid ego nunc commemorem Caſſios, Carpitanos, Aruncos, Albutios, quibus

Romæ tum apud principem, tum apud populum immodicum quæſtum fuiſſe refert Plinius? Quanquam quid nos hæc ex priſcis ætatibus repetimus, quaſi non hodie cuique complures ſuccurrant, quos hæc ars ad Crœſi opes euexerit? Rhetorica aut Poëtica non alit niſi inſignem. Muſicus ni præcellat, eſurit. Iureconſulto tenuis prouentus eſt, ni ſit eximius. Sola medicina quomodocunque doctum alit ac tuetur. Innumeris diſciplinis, infinita rerum cognitione conſtat res medica, & tamen frequenter vnum aut alterum remedium alit idiotam. Tantum abeſt, vt hæc ars ſterilitatis damnari poſſit. Adde quod cæterarum artium non vbique paratus eſt quæſtus. Rhetor frigebit apud Sarmatas. Iuris Cæſarei peritus apud Britannos. Medicum quoquo terrarum ſeſe contulerit, ſuus comitatur honos, ſuum ſequitur viaticum, vt in nullam diſciplinam verius competat vulgatiſſimum illud Græcorum prouerbium, τὸ τέχνιον ἡ πᾶσα γῆ τρέφει. Sed hoc ipſum indignatur Plinius, aut certè apud hunc alij, quæſtum eſſe medicinæ profeſſionem. Maior eſt, fateor, hæc Confutatio.
facultas quàm vt quæſtui lucroq; ſeruiat,

ſordidarum id eſt artium. Sed nimis ingratum eſt, eam ſolam ſua fraudare gratia, cui nulla par gratia rependitur. Aegregius medicus ceu numen quoddam, ſeruat gratis, ſeruat & inuitos. Sed impietas eſt, non agnoſcere numinis beneficium. Nihil ille moratur mercedem, tu tamen dignus qui legibus mulcteris ob inſignem ingratitudinem. Iam haud quaquam me fugit, hanc ægregiam artem & olim apud veteres audiſſe malè, & hodie apud indoctos quoſdam malè audire. Catoni non placuit, non quod rem damnaret, ſed quod ambitioſam Græcorum profeſſionem non ferret homo merè Romanus. Isq́; tantum tribuit experientiæ, vt artem eſſe noluerit, ſed idem vniuerſam Græcorum philoſophiam ex vrbe pellendam cenſuit. Exiſtimabat homo durus, ad purgandum hominis corpus ſufficere braſſicam & crebros vomitus, & tamen ille ipſe mediocrum hoſtis obſeruatione medicinæ, in extremam vſque ſenectutem robur infractum tutatus ſcribitur. Solis, inquiunt, medicis ſumma occidendi impunitas eſt. At hoc nomine magis ſuſpiciendi boni medici, quibus cùm in manu ſit, non ſolùm impunè,

punè, verumetiam mercede occidere, tamē ſeruare malunt. Quod poſſunt facultatis eſt, quod nolunt probitatis. Decantatur iam paſſim inter pocula temulentorum adagiū. Qui medicè viuit miſerè viuit. Quaſi verò felicitas, ſit diſtendi crapula, rumpi Venere, turgeſcere ceruiſia, ſepeliri ſomno. Sed iſtos Sycophantas quid opus eſt oratione refellere, cùm ipſi petulantiæ ſuæ ſatis magnas pœnas dant arti, mox podagra contorti, paralyſi ſtupidi, deſipiſcentes ante tempus, cæcutientes ante ſenectutem, iamq; prius vituperatæ medicinæ, exēplo Stheſichori ſeram canunt palinodiam miſeri. Et tamen his licet indigniſſimis, artis bonitas non grauatur eſſe præſidio, quantum licet. Sunt qui mutuato ex vetere comœdia ſcommate, vocent medicos σκατοφάγους. Quaſi verò non iſto nomine, vel precipuè laudari mereantur: qui quo ſubueniant hominum calamitatibus, ex illa ſua ſublimitate ſeſe ad hæc ſordida deijciāt. Quod ſi medicis tantū eſſet ſupercilij, quantum iſtis eſt procacitatis, liceret paſſim impunè mori, verùm habet hoc ars noſtra cum bonis regibus commune, vt bene faciat ac male audiat. Quod ſi maximè ſunt, vt ſunt

Ex Ariſtophane.

in hoc ordine, qui ſe pro medicis gerunt, cùm nihil minus ſint quàm medici. Si ſunt qui pro remedijs venena miniſtrant, ſi ſunt qui ob quæſtum & ambitionem ægrotis male conſulunt, quid iniquius eſt, quàm hominum vitia in artis calumniam detorquere? Sunt & inter ſacerdotes adulteri, inter monachos homicidæ ac piratæ, ſed quid hoc ad religionem per ſe optimam? Nulla tam ſancta profeſſio eſt, quæ non alat ſceleratos aliquot. Votis quidem omnibus optandum, omnes principes eiuſmodi eſſe, cuiuſmodi decet eſſe, qui cenſeantur hoc digni nomine. Nec tamen ideo damnandus eſt principatus, quod nonnulli ſub eo titulo prędones reiq́; publicæ hoſtes agant. Optarim & ipſe medicos omnes verè medicos eſſe, nec in Prouerbiũ. his locum Græcorum prouerbio, πόλλοι βούκεντοι, παῦροι δέ τε γῆς ἀροτῆρες. Optarim ab omnibus eam præſtari ſanctimoniam, quam Hippocrates ſacramento verbis ſolennibus concepto à profeſſoribus exigit. Neque tamen huc non enitendum eſt nobis, ſi id à pleriſque negligi conſpicimus. Sed quoniam huius argumenti tanta eſt vbertas viri præſtantiſſimi, vt difficillimum ſit in eo di-

cendi

cendi finem inuenire,ne non præſtem quod initio ſum pollicitus, tempeſtiuum arbitror, vniuerſas eius laudes ſummatim complectі. Etenim ſi permultas res ſola commendat antiquitas,hanc artem primam omnium reperit neceſſitas. Si ſcientiam autores illuſtrant , huius inuentio ſemper dijs attributa eſt. Si quid autoritatis addit honos , non alia tam paſſim ac tandiu diuinos honores meruit. Si magni fiunt , quæ ſummis viris probantur, hæc ſummos reges , hæc primates non ſolùm delectauit , verumetiam illuſtrauit. Si difficilia quæ ſunt, ea ſunt & pulchra,nihil hac operoſius quæ tot diſciplinis, tantarum rerum perueſtigatione vſuq; conſtat. Si dignitatem rem æſtimamus,quid excellentius, quàm ad Dei benignitatem proximè accedere? Si facultate, quid potentius aut efficacius , quàm totum hominem certo exitio periturum ſibi poſſe reſtituere? Si neceſſitate , quid æquè neceſſarium atque id ſine quo nec viuere,nec naſci licet?Si virtute , quid honeſtius , quàm ſeruare genus humanum? Si vtilitate nullius vſus neque maior eſt , neque latius patet. Si compendio, aut hæc in primis frugifera ſit oportet,

Epilogus.

aut

aut ingratiſſimi mortales. Vobis igitur magnopere gratulor, eximij viri, quibus contingit in hoc pulcherrimo genere profeſſionis excellere. Vos adhortor optimi iuuenes, hanc toto pectore complectimini, in hanc neruis omnibus incumbite, quæ vobis decus, gloriam, autoritatem, opes eſt conciliatura, per quam vos viciſſim amicis, patriæ, atq; adeo mortalium generi non mediocrem vtilitatem eſtis allaturi.

FINIS.

DE HIS QVÆ AD rationalis medici diſciplinam, munus,laudes,conſilia, & præmia pertinent libellus cum appendice.

*

Autore D. H. Montuo, Valetudinis Regiæ aſſertore, & à conſilijs.

LVGDVNI
APVD IOAN. TORNAESIVM
ET GVLIEL. GAZEIVM.
M. D. LVI.

Cum Priuilegio Regis.

DE TRIBVS MEDICORVM SECTIS,

*

SERMO I.

MEDICVS à medicina (quæ propter languentes inuenta eſt, & nomen inde habet, vt Hippocrati placet, lib.de priſca medicina) denominatur. Nam artifex ab arte quam profitetur, deflexum ſortitur nomen, Gal.ij.de tuenda ſanitate. Vnde qui male ſui corporis curam habet, medicus non videtur, quia cæteros non bene curaturus eſt, vt Hippocrates ait libro de medici offic. & à cauillantibus verſus ille obijcitur. Medici nomen.

Ἀλλῶν ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύων, id eſt.

Alijs medens, at ipſe vlceribus ſcatens.

Cuius meminit Galenus 5.de tuenda ſanit.

Porrò medicus variæ ſignificationis no-

Medicorum ſectæ.

men eſt, & iuxta magis inſignes ſectas variam in artifice doctrinam denotat, quare nec definitionem vnicam habebit, niſi primum diſtinctæ ſint hæreſes. Duarum tantum meminit Plato. Medendi inquiens duo modi. Alter rationalis, qui à medicorum miniſtris, & hos maiores eſſe pharmacopolis, qui in officinis verſantur, innuit. 4. de legib. ſed tres numerant Celſus in primo, & Gal. lib. de ſectis & introductor. Hinc illud Auſonij,

-Triplex quoque forma medendi,
Quæ logos, & methodos, cuiq; experiẽtia nomen.

Methodici.

Vna Methodicorum, à Methodo dicti, quoniam rationem medendi per compendia tradebant, ponentes communitates quaſdam: laxata videlicet eſſe adſtringenda, aſtricta verò laxanda, morboſq; in fluore & retentione ſpectandos eſſe, quibus tanquàm communem & generalem hominem & non particulares curarent. Hi anatomices cognitionem in vniuerſum reſpuebant, nec locum affectum ad curationis indicationem prodeſſe, neque cauſam neque ætatem, neque tempus, nec regionem, nec virium ægrotantis conſiderationem neceſ-

ſariam

ſariam exiſtimabant. Hos libris therapeu. methodi paſſim inſectatur Galenus. Altera eorum eſt qui Empirici ab experientia vocantur, nam per recordationem eorum quæ ſæpius & identidem profecta ſunt (hãc experientiam nominarunt, eiusq; expoſitionem hiſtoriam (omnia ad curationem neceſſaria inueniri contendebant, nec arte putant, vlla'ue ratione experientiam niti: imò vnius fortunæ fauorem ad ea quæ quærunt inuenienda requirere. Hos damnat Galenus libris de ſectis introd. & therapeu. Sed Florentinus lib. de agricultura morbos inquit Empirici curant diſciplinæ exemplo ab his qui ſimiliter ægrotarunt hominibus ſumpto. etenim qui eãdem inhabitant regionem, & eadem dieta viuunt, ſi in eoſdem morbos inciderint, ijſdem etiam remediis curabuntur. Galenus etiam fatetur idiotas natura duce ſæpe remedia reperire, & Soranus naturam interdum indoctis peritorum tribuere efficaciam aſſeruit. Tertia Dogmaticorum, qui rationi & experientiæ cum ratione conſentiente ſe accommodantes, rationales appellati, res naturales & præter naturam omnes, atque

Empirici.

Dogmatici.

illas etiam quæ neceſſariò corpus noſtrum alterant contemplantur: & inde curatrices indicationes deſumunt, quibus medendi viam & rationem perficiunt. Hoſce allegatis locis laudat & ſequitur Galenus in omni ſectarum ſcientia nemini poſthabendus, vt de ſe teſtatur ſecundo de locis affectis.

DE DISCIPLINIS QVÆ DOGMATICIS NECESSITATI SVNT.

*

SERMO II.

Medicus omnes philoſophiæ partes habet.
Philoſophię diuiſio.

MEDICVS optimus omnes philoſophiæ partes habet, tum eã quæ rationalis dicitur, tum eam quæ naturalis, tum eam quæ moralis, vt Gale. aſtruit, lib. cui titulum fecit, quod opt. medi. idem ſit & philoſophus, ſic enim tripartita philoſophia ſecundum Stoicos eſt, vt effert Plut. li. 1. de philoſ. plac.

Rationalis philoſophię partes.

Rationalis ſcinditur in partes Grammaticã, Rethoricam, & Logicam, conſtituentes triuium. Igitur grãmatica (ſaltem quæ eſt methodice) medico neceſſitati eſt, vt congruè loqui, & ſibi ſcribere, antiquorumq; monumenta

Grãmatica medico neceſſaria.

menta intelligere, ac exponere poſſit. ſiquidem rectè loquendi ſcribendiq́; diſciplina eſt ſexto topic. Itaq; hiſtoriarum cognitio medicam rem iuuat, vt inquit Hippo. in epiſt. non illarum modò quę de natura ſunt, vt animalium & plantarum, aut de locis, vt geographicæ, ſed earum etiam quæ de temporibus vt chronicæ (vnde Thucididem ſæpiuſculè citat Gale.) & quæ de rebus geſtis ſunt, quales Hippoc. narrationes libris epidi. & hiſtoriæ Galeni commentariis paſſim inſperſæ, quæ vel ipſo teſte quarto de locis affectis & libro de ſect. perquam cõducibiles ſunt. Adde (nam finitima Grammaticæ Poëtica quoq; eſt) quòd philoſophus cõſequẽterq́; medicus natura φιλόμυθος eſt, tum quòd fabulæ admiratione conſtant, & admiratio philoſophos peperit, primo metaphyſ. tum quòd fabulæ ad naturas rerum & mores hominum interpretantur, & perinde philoſophiæ dogmata efferunt, eoq́; poëticam à philoſophia differre tẽpore duntaxat & forma quodã loco prodit Maximus Tyro Platonicus, atq; ob id ſuas crebrò ſentẽtias & placita Homeri, Heſiodi, aliorumq́; Poëtarum carminibus corroborant philoſophi

Hiſtoriarum cognitio medico vtilis.

Hiſtoriæ diuiſio.

Poëtica medico commoda.

Plato & Ariſto. Theophraſtus,Gal.Aphrodiſeus,& qui ſunt huius cohortis.Pręterêo, quòd non incelebres pleriq; de re medica verſibus cõſcripſerunt, etenim pharmacorum virtutes metris tranſcriptæ facilius memoria tenentur, vt ait Galenus ſecundo de comp.medi.κατὰ γενὴ.& primo de antidotis, proin herbarum vires Macer,ſerpentes Nicãder,theriaces cõfectionẽ Andromachus, pharmacorũ cõpoſitiones Damocrates carminibus cõplexus eſt,quæ Galeno probantur li.de theri.ad Piſo.& 7. de cõp.med.κατὰ γενὴ. atque adeò Samonicus particularium morborum curationes metris illuſtrauit.

Poëtæ medici.

Logica medico nęceſſaria.

Similiter dialectica medico opus eſt, vt paſſim inculcãt autores.Galenus primo therapeu.lib.de ſectis primo,de differentijs febrium, & frequenter alibi, Iſac primo pantech. & Hallyabb. primo theorices. Auerrhois primo collector.ſcilicet,vt pręter alia doctrinales modos & doctrinarum ordines haud neſciat,veraq; à falſis atque veriſimilia ab his quæ vera ſunt diſcernere queat.

Logices vtilitas.

Huc pertinet,quod dialectica ad omniũ methodorũ principia viam habet, vt Ariſt. ſcribit, primo top. & quarto methaph. & quòd

quòd omnes illiterati quodãmodo vtuntur dialectica, primo elench. ex quo colligitur, quòd quædam dialectica naturalis eſt. hac vſus eſt Hippoc. quoniam Democriti tẽpore (qui Hippocratis coæuus fuit & familiaris, vt liquet ex lib. epiſtol. Hippocratis) nõdum erat vis dialectica. decimotertio meta phyſ. eoq́; forſan lib. de locis in homi. Hippocrates ſic ſcriptum reliquit: Medicam artem propterea nouiſſe non eſt, quia ſophiſma certum vllum in ea dare non eſt.

Logica duplex.

Hippocratẽ non nouiſſe veram dialecticam.

A dialectica, vt literati aſſerunt, parum differt rhetorice. hęc enim inuentis à dialectica ſolam elocutionem addit, huius etiam gnarus medicus ſit oportet, teſtibus Sorano in iſag. & Iſidoro 4. etymol. vti dicendi peritia ſalubria perſuadere, & ab noxijs dehortari rebus ſciat. At generis cauſarum deliberatiui eſt perſuadere & dehortari. 1. reth. & quemadmodum ægrotantibus benefacere ſuauiloquentia putatur, ψυχῆς νοσούσης ἐϛὶ ἰατρὸς λόγος, vt quidam ait: ſic illos conſentaneum eſt, nimia verboſitate (qua ex dimidio verbi obſtrepere ſolent) offendi, vt hoc etiam ſenario ſubnotauit Meander.

Rhetorica medico vtilis.

Verboſus medicus taxatur.

ἰατρὸς ἀδόλεσχος νοσοῦντι πάλιν νόσος. id eſt,

Medicus loquax alter languenti morbus eſt.

Phyſicæ diuiſio.

Naturalis Philoſophia tria complectitur ſpeculatiua genera, mathematicũ infimũ, vt quod de accidẽte ſit, poſt quod aſcendẽdo phyſicũ, vt quod de ſubſtantia ſit, ſed mobili, poſt quod ſurſũ vergẽdo metaphyſicũ, vt qđ de ſubſtãtia ſit, ſed immobili & diuina.

Mathematicæ diuiſio.

Iam mathematicũ genus quantitatẽ ſpeculatur abſtractã ſcilicet, proinde quadruuium complectitur, Arithmeticam, Geometriam, Muſicam, & Aſtronomiam. quãtitas enim in multitudinẽ & magnitudinẽ ſecatur, multitudo alia per ſe, vt tria, quatuor, alia ad alia refertur vt duplũ & dimidiũ: magnitudo aut immobilis eſt, vt triangulus, linea, aut mobilis, vt octaua ſphæra. Magnitudinẽ quæ per ſe eſt, Arithmetica contẽplatur, quæ ad aliam Muſica, magnitudinẽ immobilẽ Geometria, mobilẽ verò Aſtronomia, vt Boëtius 1. arithm. notatum reliquit.

Arithmetica & Geometria medico vtiles.

Arithmetica & geometria vtraq; ad apodices in medicina cõducit, vt Galenus innuit lib. de libris proprijs. & lib. de conſtit. artis medi. vtraq; medicam rem iuuat, vt Hipp. in epiſt. & Sorano in iſago. dictum eſt. itaq; per illam decretorij dies & ſcalares anni inueniun

ueniuntur, per hanc verò Coſmographia, Geographia, atq; Topographia, id eſt, mũdi, terrę, lociq́; deſcriptio cõſequenterq́; regionis cuiuſq; qualitas intelligitur & partiũ corporis figurę ratio in libris medicorũ anatomicis, atq; vulnerũ vlcerũq́; prognoſtica, in chirurgicis explanãtur, ꝙ vulnera circularia tardius ſanantur, medici eſt ſcire quia, Geometræ autẽ propter quid, primo poſt.

Muſica item cõmoda medico eſt, vt colligitur 8. politi. non naturalis ſolũ, id eſt, humana mundanaq́;, ſed artificialis etiam, cuius præcipuę partes ſunt, harmonica, rhithmica, metrica. de harmonica liquet, quòd animi morbos (quos vocãt Pathemata) ſanat, vt refert Cenſorinus li. de natali die. ad inſaniã ſymphoniæ & cymbala proficiunt. Celſus in. 3. huc referũt Saulis hiſtoriam ex tertio regum. Homerus etiam Achillẽ facit digerentẽ muſica iram in Agamẽnone cõcitatam: quã muſicam à ſapientiſſimo Chirone medicinæ doctore (vt Plutarch. ſcribit lib. de muſica) didicerat. Hunc inuenerunt mulcentem pectora dulci, formoſaq́; lyra. Atqui Pathemata corpus à naturali ſtatu auertunt, autore Gal. 3. microtech. & li. quòd

Muſica medico vtilis. Muſicæ diuiſio.

animi

animi mores corp.tēp.ſequātur. Rhythmicæ ac metricæ haud inſcius medicus eſſe debet, quòd in vtriuſq; numeros pulſum digeſſerunt veteres medici, quos inſecutus eſt Auicēna ſecūda primi cano. Galenus quoq; poſt Herophilū de pulſu rhythmo accurate egit. primo de differ. pulſ. tertio de dignoſcēdis pulſ. & ſecundo & tertio de cauſ. pulſ.

Aſtronomia medico valdè cōmoda.

Aſtronomia autē non minimū ad medicinam confert, ſed valdè plurimū, vt Hipp. affirmat libro de cœli quali. & Soranus in iſag. nam criſimorū dierum cauſas oſtendit, vt patet tertio de criticis, & prænoſcere ſalubres cauſas inſalubresq́; docet, vtpotè tēporum mutationes, cum his enim mutātur & hominum corpora, vt Hippo. placet loco citato, Galenoq́; commētario primo primi epid. & lib. de natura hum. cōtinens cōtentum mutat in ſuā craſim. Philaretus li. pulſ. itaq; ſecundū planetarū aſpectus & Lunæ curſum idoneos ad ſanguinis miſſionē humorumq́; purgationem dies eligere medicus debet, ſi Haliabbati credimus. 1. theorices.

Quadruuiū medico neceſſarium.

Aſtronomiam igitur calleat medicus opōrtet ac conſequenter arithmeticam, geometriā, muſicamq́; quæ treis neceſſariò

præ

præcedunt, quandoquidē iſtis ſublatis prioribus, ſimul & Aſtronomia quæ poſterior eſt, tollitur, vt tradit Boëtius primo arith.

Phyſicum genus medicinæ pars eſt contemplatrix, vt inſinuat Soranus in iſag. & Auerrhois primo collectorij, vel à medicina ſeparatū eſt, vt credit Celſus in.1. vtcūq; illud medico neceſſariū eſſe declarat Hippocr.li.de natura huma.& Gale.li.de elem. de naturalibus potentijs.1. & 3.therap. metho.& ſexcentis locis, vt interim ſileam Haliabbatis & Zoaris teſtimonia. itaq; vbi naturales finiunt, ordiuntur medici, & ex his quæ de natura ſunt, ſua ſumit principia medicina, vt dicit Ariſt.lib.de ſen.& ſen. De natura autem ſunt, quæ cōmuniter inſunt rebus, & ea quæ videntur ineſſe nec inſunt, quando circa duo hæc tantū verſatur Phyſica diſciplina. Ineſſe videntur, nec inſunt inane & infinitū. Inſunt verò vel principia, vt cauſę & concauſę: vel quæ principijs adnexa, vt motus, locus, tempus, & continuū. vel quæ de principijs exorta, vt ſimplicia & cōpoſita: ſimplicia vel ſempiterna, vt cœlū, vel corruptibilia vt elemēta. Cōpoſita, vel imperfecta, quæ gignūtur in ſublimi, vel perfecta:

Phyſica Medico neceſſaria.

Phyſicæ diuiſio.

fecta:quæ vel inanimata,vt metalla,vel animata:quæ aut vegetabilia,vt plãtæ,quæ aut herbæ,aut fructices,aut arbores,aut ſenſibilia,vt animalia:quæ aut rationalia,vt homo & nymphæ, vt antiquitas credebat, hominibus diuiniores: teſte in dialectica Trapezontio,& Georg.Valla:vel ratione carentia vt brutum , aut horum media,quæ Græci zoophyta vocant,vt ſcienter in panepiſtomene diuidit Politianus.

Metaphyſica medico neceſſaria.

Metaphyſicũ quoq; genus obtinet medicus,quoniã medicina cũ ſapientia,&.ſapiẽtia cũ medicina mixta eſt, medicusq́; vir ſapiens eſt.Hipp.ſi credimus li.de probitate. eſt autẽ ſapientia intellectus ſimul & ſcientia,eorũ quæ honorabiliſſima ſunt in natura.1.metaphyſ.id autem eſt humanarũ diuinarumq́; rerũ ſcientia.1.therap.metho.& ſapiens eſt qui hanc poſſidet.1.metaphy.Nec me latet,tamẽ quod in arte ſua quẽq; perfectũ etiam ſapientẽ vocat Ariſt.6.Ethicor.

Sapiẽtis nomen ęquiuocum.

Moralis philoſophia medico vtilis & neceſſaria.

Poſtremò moralis medico philoſophia (quæ Gal.artium maxima eſt.1.therap.)ſaltem ea quæ mores expẽdit ſingulorum aut familię,id eſt,ethica,œconomica,& monaſtica,nõ tantũ decori vtilitatiq́;,verũ neceſ-

ſitati

ſitati etiam eſſe videtur, vt idem demõſtrat lib. quod opt. med. idẽ ſit & philoſophus, & li. de corrigendis morib. Hipp. etiam, morũ probitas (inquit) medicũ cõcomitari debet lib. de med. offic. de præceptis & de probitate, aliasq́; medicinã tantũ ſacris ſanctis'ue viris demõſtrari exarat, vt lib. de leg. Feliciſſimumq́; eſſe iſagogis Sorani proditum eſt, vbi medicus in arte perfectus ſit, & moribus optimus, ſi autẽ vnũ de duobus defuerit, melius etiã videtur eſſe bonũ, quàm artificẽ perfectũ mores habentẽ malos. Modeſti ſiquidẽ mores, quod in arte deeſt, honeſtate repẽſare videntur: culpa autẽ morum artẽ perfectã improbare poteſt. Huc pertinet, quòd moralis philoſophi officio medicũ vti decet, nã bonos tueri docereq́; mores dogmaticus debet. 1. de tuenda ſanit. atq; malos corrigere, hi enim alterãt & à naturali ſtatu corpus auertũt. 3. microtech. Ob id corpus totũ ab animo ità pẽdere in Carmide ſentit Plato: vt niſi animus bene valuerit, corpus bene valere nõ poſſit, cõtraq́; ægrotante corpore animus nõ ſatis ſuo fungi officio poteſt (vt Gal. lib. explicatur, quòd animi mores corp. tẽp. ſeq.) ſed coægrotat.

Moralis philoſophi officio vtitur medicus.

animo

animo ſingulę ſenſoriū ægrimonię officiūt, quòd ſine phantaſmate (quod vtiq; pēdet à ſenſu) nō intelligit animus, vti refertur apud Ariſt. 3. de anima. vnde extat in noct. atic. quod Carneades ſcripturus cōtra Zeno. libros ſuperiora corporis elleboro purgauit, ne quid ex corporis in ſtomacho humoribus ad domicilia vſq; animi redūdaret, & inſtantiā vigoremq́, mentis labefaceret. Ex his ſatis probaſſe remur, orbē illū doctrinarū (quā Græci ἐγκυκλοπαιδείαν vocāt) medicis ex vſu eſſe (qua ex re medici plurimi verbis fama'ue ſunt, opere & re vera perpauci, li. de lege.) & perinde omniū conſortio doctrinarū medicā facultatē eſſe perfectā: quā phyſicæ partis extremā fęcē. 7. ſaturnaliorū Macrobius ille rapinator minus eruditè prodidit. Siquidē phyſica medicinæ ſubordinata eſt, vt claret ex libro de ſenſu & ſenſato.

Encyclopedia medico vtilis.

Medicus opere & re rara auis.

Phyſica medicinæ ſubordinata.

Prima oppoſitio.

Opponet aliquis fortaſſe, non poſſe hominem tantum numerum doctrinarum perdiſcere & memoria continere, quandoquidem vita breuis. 1. apho. 1.

Secunda oppoſitio.

Item Dioſcorides qui omnium perfectiſſimè ſcripſit de materia medicamentorū, vt teſtatur Gal. 6. de ſimpl. medica. facul. ſignificata

ficata Græcarum vocum, non ſatis perno-
uit.11.de ſimpl. medic. facul. ob hoc fortaſ-
ſis libros Hippocratis deprauauit, vt Gal. di
xit commentario lib. de natu. huma. ergo
grammatices rudis fuit.

Item quòd Hippocrates rhetoricen nõ nouit, argumento eſt, quòd nuſquàm elocu tione vtitur, ſed ſuas ſentẽtias breuibus verbis deſignat. Ad hæc accedit quòd dialecti ca cũ rethorica cõuertitur. 1. rethori. Ariſt. atqui dialecticen neſciuit Hippocrates, vt ſcienter differentia prima concil. adnotauit. nam Democriti tempore nondum erat vis dialectica. 13. metaphyſ. Tertia oppoſitio.

Galenus quoq; poſt Hippocr. maximus medicorũ, ridetur à dialecticis, dum figurã ſyllogiſmorũ quartam ſtabilit. quæ à prima nullo diſtat diſcrimine. Auerrhois etiã ſecũdo collectorij monſtrat improbã cõſequen tiam eſſe, qua Gal. colligit motũ pulmonis eſſe naturalẽ. Item multis in locis. vt lib. de motibus liq. & lib. de ſubſtã. virtu. naturali, Gal. fatetur ſe animæ ſubſtãtiam ignorare, ſicuti & cauſam animaliũ conditricẽ, lib. de gen. fœtus. Idem in ſupputatione lunaris motus ac medici menſis inſtitutione labi- Quarta oppoſitio.

tur. 3. de criti. vide Picum Mirand. 3. contra Aſtro. Idem de cilijs, quum Moſem lãcinat, ſe prodit de Deo male ſentire. 11. de vſu par. vnde in logica, phyſica, aſtronomia, atque metaphyſica, erraſſe Galenum conſpicuum eſt, quocirca iſtis artibus peritus non fuit, quod etiam nõ inficiatur Moſes Ægyptius 25. apho. & Auer. 4. phyſ. cõmento. 97. & 7. commento. 1. & 8. cõmento. 78. primo cœli. commento. 92. ſecundo de anima cõmento. 105. tertio de anima. cõmento. 6. & alibi.

Quinta oppoſitio.

Præterea à morali Philoſophia medici abhorrent, eos etenim moroſos, ſeu improbis eſſe moribus ac perpetuò à ſe inuicem diſcordantes, autumat Cõciliator differentia prima, & Zerbus in cautel. illosq; omniũ cõuiciator ſcientiarum Agrippa, parte pro virili dedecorat, li. de vanitate ſcientiarum.

Ad primam obiectionem reſpondeo, omnes diſciplinas, vt Quintil. & Vitruuius meminit, lib. vterq; primo, inter ſe coniunctionem rerũ & cõmunicationem habere. quo fit vt qui teneris ætatibus eruditionibus varijs inſtruũtur, facilime omnes cognoſcant: &, Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem, Teſta diu. Quinimo aliquos

Horatius.

morum

morum probitate inſignes & in ſingulis doctrinis elegantias ſingulares cõſecutos,hoc etiam ſęculo videmus.in quorum albo noſter ille Sympho. Campegius Lugdunenſium Archiatros adnumerandus eſt.

Ad ſecundã & quartã, in omnibus diſciplinis Dioſcoridẽ & Galenum nõ habuiſſe ſummũ laudis principatũ,illosq́; vtpote homines,aliquando ceſpitaſſe nõ inficiamur: nec opus eſt medico vt in omnibus eruditionibus excellentiam habeat,modò in his imperitus non ſit,tantumq́; niti debet,quò in medicinæ ſapientia ſingulariter excellat, nobilitatemq́; conſequatur.

Tertiã obiectionẽ partim diluit Socrates in Gorgia:populũ inquiẽs rhetoricã callere, & partim Ariſt.qui.1.elench.omnes illiteratos quodãmodo vti dialectica vtiq; refert.

Ad quintam antecedens falſum eſſe,Gal. lib.quòd opt.medi.&c.& lib.de vitiorũ animi remedio.ac li.q animi mores corp.&c. enucleat,religioq́; noſtra docet,aliquot morum ſanctitate: præfulgentes,& in numerũ Deorũ relatos eſſe,veluti diuos Lucã euangeliſtam,Coſmam,& Damianũ, Euſebium Papam,Vrſinum,& Panthaleonẽ martyres,

Ioan.Damaſcenum, Iſidorum epiſcopũ, vt interim taceam Moſen Heliſeum & Christum opt. maximũ,eiusq́; diſcipulos omnimodos languores ſanantes medicos fuiſſe. Porrò Agrippa quæ de malis ſcientiarum artificibus apud autores ſcribũtur ſcommata , illa peritis etiam omnibus impingit, vt quod molitur vanas eſſe diſciplinas oſtendere perſuadeat.Itaque medicinam ſugillat vituperatq́; Empiricam & Methodicã, medicisq́; conuiciatur Empiricis & Methodicis,quorum cõtumelias partim à Plinio 29. ca.1.partim à Gale.lib.de ſectis.& 1.therap. metho.mutuatus eſſe poteſt,neque tamen negabimus inter dogmaticos eſſe pleroſq; nequam,ſed horum vitia in bonorum calumniam detorquere nullus debet.

Medici contagioſi.

Iam quòd contagioſos & ſenſibus omnibus infectos eſſe medicos ab obiectis excrementis cõtendit Agrippa,haud falſum eſt. idẽ etiam confitetur Hippocrates,Viſu(inquiens) tactuq́; malorum moleſtia afficitur medicus,& ex alienis calamitatibꝰ proprios colligit dolores.lib.de flatibus.cuius id fuiſſe fert Cœlius 16.lectionum antiq.in diſcẽdo ſtudium vt eum non puduerit vel retri-

Mos Hippocratis abominandus.

menta-

menta guſtare, vt inde omnem humorum naturam perſentiret: vnũ in vetere Ariſtophanis comœdia ab impuro videlicet ſeruo Caryone (lingua eſt vt ille inquit pars peſſima ſerui) σκατοφάγος dictus eſt, quamobrem in omnibus de re medica actis illum imitari nõ debemus, niſi miſerrimi eſſe voluerimus.

Et mea ſententia doctoribus medicis, hoc eſt, humanæ vitæ imperatoribus ægrotantium excrementa ſentire, indecorũ, inſalubre & non neceſſarium eſt. Nam quod ridiculos medicos facit, illorum excellentiæ nõ cõuenit, ideoq; indecorum eſt. Purgamenta verò & cæteras humorũ ſuperfluitates perſentire ridiculos medicos efficit, procacẽq; fecit Ariſtophanem, atq; abominandã plæriſq; heroinis modeſtisq; hominibus medicã facultatẽ reddit. Item honorabilis ſcientiæ artificẽ ſordida deteſtandaq; ſentire nõ decet, ſi cũ honeſto obſcœnũ pugnat: atqui medicus honorabilis ſcientiæ artifex eſt, quando omnis ſcientia de numero bonorũ honorabilium eſt. Ariſt. 1. de anima. medicina autẽ ſcientia exiſtit. 1. microtech. & prima primi cano. rurſus inſalubre quod morbos parit, id eſt. 3. microtech. laborantium

Opinio autoris noua eſt.

retrimenta ſentire morbos creat. ſentire enim pati eſt.2.de anima. Ad hæc, quod putridum expirat fallax eſt. 1. de differ. feb. at ægrotantium ſpurcitiæ magna ex parte omnes putridũ expirant (ſi grauedolentia putredinis initium ſit: vt Gal.meminit 2. progno.cõmento 22.) ita vt non tantùm matulas, pelues, cõchas, & cætera in quibus excipiuntur vaſa, ſed cubicula etiam in quibus ſunt, grauiter olere faciant, inquinent, inficiantq́;. Doctor quidam, vt narrat Iacobus à partibus.2.primi, ſputa tabidi cuiuſdam prunis iniecta ſubinde olfaciens phthiſicus effectus eſt, ſicq́; exitiali morbo lethalis præſagij notionẽ.5.aph.11. proditam, miſer emit. Alterũ nouimus inſignem, qui dum cõſulit diarrhea vel dyſenteria laborantibus, ſimili profluuio ob cõtagionẽ ſemper corripitur.

Modus cognoſcẽdi retrimenta honeſtius.

Cæterùm quod de languẽtium ſtrigmẽtis ſordibusúe omnibus noſſe oportet, nullo ferè negotio, & perinde ac ſi eas omnibus ſenſibus ſentirẽt, ſcire poſſunt medici, miniſtros, modò idonei, vt Gal.præcipit.1.apho. commento 1. ægris aſſideãt, famulenturq́;, interrogantes de ſubſtãtiæ craſſitie, mediocritate, tenuitate, de quantitatis multitudi-

ne,

ne, mediocritate, paucitate, eiusq́; magnitudine, mediocritate, & paruitate: de qualitatis colore, odore, ſapore : an non de ſenſatis reſpondere poterunt.

Ad hunc modum priſcos illos ſemideos, Apollinem & Æſculapium : Imperatores, Alexandrum magnum, & Adrianũ cognomento Helium: reges, Ægypti Hermetem, Bactrianorum Zoroaſtem, Ponti Mitridatẽ, Arabum Euacẽ, ac Sabidum, Medorum Saborẽ Gingemq́;, Bithiniæ Auicẽnã, Damaſci Meſuem (alios plærosq; reges, quos Marcellus citat, omitto) decorũ ſeruãtes, & citra eorum diſpendium, tutoq́; medicinã exercuiſſe crediderim. Galenus quoq; ſymptomatũ olfactus & guſtus differentias ſapienter ab ægris diſcere, potiuſquã olfacere aut guſtare mauult lib. de differ. ſympt. atq; 10. de ſimpli. med. facul. eſſe probrũ ait grauius homini modeſto, audire κοπροφάγον, q̃ fellatorẽ aut cinędũ. atq; inibi execratur abominandas nõ potiones modò, ſed etiã vnctiones, alioqui ad curãdos morbos vtiles. Verũ ſi q̀s de his ſecus q̃ nos ſentiat, nõ grauatè ferã, illiq; p me licebit eſſe Gryllo, & in fœtidiſſimis ſtercorib⁹, ceu vpupa ſolet, nidificare.

Imperatores medici.

Reges medici.

DE DOGMATICORVM OFFICIO.

*

SERMO III.

MEDICI munus duplex eſt, alterum quo præſentem tueri ſanitatem, alterum quo abſentē reſtituere valet, vt libro de ſectis & ſæpe aliàs Galenus innuit. At curãtis officium eſt, vt tutò vt celeriter vt iucundè curet, vt lib.3.ex Aſclepiadis ſententia Celſus dixit. Tuto curare debet, id eſt, vti proſit vel non noceat: vt iubet Hippocr.1.epid.& Gal.in cōmentario: ſit intentus vt omnino abſolutionem operis conſequatur, vel ſaltē cubantem non lædat, vt vitium non facilè reuertatur.14.therap.method.

Tutò curare.

Celeriter curare.

Celeriter curare debet: quoniam ab omni arte aliena eſt comperendinatio, potiſſimumq; à medica, in qua comperendinatio procraſtinatioq; vitæ periculum & animæ eſt, teſte in epiſt. Hippocr. inde Meſues in praxeos ſuæ prologo: auxiliari, inquit, ne differas, quia ſemel pereunti nulla deinde ſuffragia proſunt. Itaq; crudelis eſſe exarat Plinius Valerianus 1. med. lib. languores qui

poſſunt

poſſunt paucis diebus vel etiam horis repelli, in longum tẽpus protrahere. Et ægros diu in reditu habere. Igitur producere morbos, vindemia quædam eſt.

Iucundè curare debet, hoc eſt citra dolorem. 14. therap. metho. nullũ nanq; ſymptoma perinde affligit laborãtes, atq; dolor vehemens. 4. de comp. med. κατὰ τόπους. Proximum illud eſt, quod Hippocr. gratificari ægrotis pręcipit, in cibis & potibus, modò nõ valde lædat medicus, cuius introitus, ſermones, figura, veſtitus, tonſura, vngues, odores ægro grata ſint. 6. epid. quoad fieri licet iucundiſſimum fiat medicamentũ. 4. de tuen. ſani. ſecus medentes ſæuiores ipſis morbis exiſtunt, vt in herbarum hiſtoria loquitur Apuleus, qui forſan Scribonij præceptor fuit, vt obiter iſtuc adnotem ex Scribonio. Cauendum tamen eſſe admonet Gal. ne cubantis delicijs tãtum ſubſcribat medicus, vt eius voluptatẽ pro meta agendorum habeat. 12. therap. metho. Porrò curare eſt corruptam ſanitatem reficere, vt colligitur ex medicinæ diffinitione. lib. de conſt. ar. med. reſtauratur autem ſalubribus inſtrumentis, quæ tria ſunt, libro de ſectis, introd. & 1. de

Iucundè curare.

Apuleus Celſus Scribonij præceptor.

Curare quid.

Inſtrumenta ſalubria.

ratio. vict.acu. mor. gloſſa 6. diæta ſcilicet, medicamenta & chirurgia. Diætam obſonatricis artis magiſter præparat, medicamēta præparationis magiſter: ſeu qui à ſui miniſterij diuerſitate varias nomenclaturas indeptus eſt. Chirurgiam verò præparat miniſtratq́; chirurgus, videlicet iuxta doctoris præceptum: qui vt præfata inſtrumenta ſolo conſilio præſcribere, ita ſe nullo miniſtrorum officio dehoneſtare debet, vt 2. theſir. Auenzoari prudenter dictum eſt. Haud enim Mechanicus artifex medicus eſt, ſed quòd liberalium ſcientiarum omnium intelligentiam habeat, liberalis: à propriaq́; ſciētia honoratus, ex primo de anima. Accedit huc medici dignitas, & quòd Imperatoribus etiam imperat: vt fert Plin. 29. natur. hiſto. Veteres medici tanquàm Duces militibus, & Reges ſubditis, imperare ægris voluerunt, 1. therapeu. metho. quare miniſtrorum munera non obeunt. Coquum medici famulum Galen. vocat 2. de tuen. ſanit. & Hippoc. ad Crateruam nobilem herbarium tanquàm ad miniſtrum ſcribit in libr. epiſt. ex quo liquet quod nō olim herbarij ijdem atque medici, erant, vt quidam cincunuenti pu

Aromatopola.

Miniſtri obediant medico.

Medicus nullo miniſtrantium officio vti debet.

Coquus medici famul⁹.

Herbarij & Aromatopolę medicorū miniſtri.

ti putant. pharmacopolarum Theophraſtus.9.de hiſto.plant. meminit. & Galen.11. therap.metho.2. & 10. de ſimpl. medic. facul.1.de antidotis.& lib.de theriac. ad Piſo. atque illos vbique medicorum mancipia eſſe ſubindicat, primoq; de criticis à medici appellatione indigniſſimos cenſet.Non diſpariliter chirurgiam à medicina ſeparauit Hippocr.lib.iuſiuran. & de flati.& Gal. lib. introd. 5. de loc. aff. 6.& 8.therap. metho. proinde hoc ſæculo medicaſtros inſanire aliquos cenſeo: quibus medicus doctor, non videtur ſat occupatus,niſi ille corpus ſuum atterat miniſterijs Parabolani, Mediaſtini, Balneatoris,Mangonis, Aliptæ,Pharmacopolæ,Pharmacotribę, Tonſoris,imo & Coqui,Diſtillarij,Dulciarijq;.Quaſi poſſit vnus philoſophus omnibus operam impendere, ægrotantibus à conſilijs eſſe, & tot rebus obeundis ſufficere, vt ſileam interim medici muneris excellentiam.Prætereà ſcire conuenit, quòd ante curationem præſagire medicus debet, queadmodum.1.de ratio. vict. acu.mor. gloſſa.3. Galenus conſuluit, ad omnem prorſus calumniam vitandam.1.progno.7.Quocirca priuſquàm ægrotanti conſilium

Chirurgi medicorum famuli.

Præſagitio ante curã.

ſilium præſtet medicus, neceſſarijs indicare debet, aut non ſanabilem morbum eſſe, aut ſanabilem, præſagijs ſuis ſemper addendo, ſi rectè conuenienterq; omnia fiant. libro de conſti.art.medi.

Nõ multos ægros ſuſcipere medic⁹ debet.

Præter hæc ad boni medici officium pertinet non multos ægros ſuſcipere. Varijs enim morbis & mens opprimitur, & corpus fatigatione continua languet. Damaſc. in apho.& Alexand.Benedic.in collec.quibus in tertio ſuffragatur Celſus, ab vno inquit medico multi curari non poſſunt. Hic etiam adijci haud incongruum eſt, quòd languens parere medico debet, & in nullo propriæ indulgere voluptati, eiusq; eſſe, vnà cum medico morbo reluctari: vt docet Hippocrat. primo epid. & Galen. pri. aphor. commento primo, vnde his qui præceptis non obſequuntur medicinale cõſilium dandum non eſt: vt Galenus innuit libro de phlebot. ſexto de tuenda ſanitate, & primo de crit.

Languẽs medico obedire debet.

DE

DE DOGMATICORVM EXCELLENTIA.

*

SERMO IIII.

MEDICI muneris eſſe præſentẽ ſuſtentare & corruptam reſtaurare ὑγέιαν, iã demonſtrauimus, quæ non ſolius corporis, ſed viuenti paſſio eſt: lib. de ſen. & ſenſa. hoc eſt, ex corpore rationaliq; anima compoſiti: ex quo claret medicos animam nõ negligere.

Sanitas compoſiti paſſio.

Nam animæ eſſentiam non modò contemplãtur ex tribus de anima libris, verùm eius quoq; morbos ſanant medici. Tum præcipuè, dum eucratam retinere ſanitatem ſatagunt, quam non parum offendunt mali mores. 1. de tuen. ſani. Itaq; quia corporis vitia emendare nõ poſſunt, animo per exceſſum animalium affectionum ægrotante, hæ nanque alterant affectiones, & corpus à naturali ſtatu auertunt. 3. microtech. noxios animi mores corrigere medicos oportet, de quibus etiam corrigendis ſalutaris à Gal. liber conſcriptus eſt.

Medici animam ſpeculantur.

Medici animi morbos ſanant.

Iam animum nõ rectè ſapere abſq; recta corporis valetudine nemo neſcit, intelligẽs quòd

Animus ſine corporis ſanitate nõ rectè ſapit.

quod ſingulæ ſenſoriorum ægrimoniæ animo officiunt, vt meminit Ariſtoteles 3. de anima. ex quibus euidentiſſimum fit multo vtiliſſimam (quod etiam in Gorgia Plato affirmauit, & Salomon in parabol.) ſanitatem eſſe. Cuius præſtantiam ex Pyrrhi voto, Antiochi ſomnio, Pythagoræ conſalutatione, Pythagoricorumq́ instituto celebrat Cœlius lect. antiq. lib. 4. Vnde ſi Deus eſt mortali (vt Plinius definit secũdo naturalis hiſt.) iuuare mortalem, nullus ſcientiarum artifex tam propè ad Deum vitæ datorem accedit, quàm medicus. Priſcaq; ætate in qua pro meritis præmia reddebantur, medicos ad Deorum ritum cultos fuiſſe teſtantur hiſtoriæ: Iſidem videlicet & Oſirim, Apollinem & Æſculapium, aliosq́; permultos. Hippocrates ob depulſam arte medica peſtilẽtiam ex Illirico in Græciam venientem, honores illos meruit à Græcis, quos Herculi decreuerunt, vti refertur apud Plin. natu. hiſto. lib. 7. Hippocr. quoque Coi ſingulis annis parentabant, vt refert Soranus in hiſtorijs.

Sanitas vtiliſſima, eiusq́; præſtantia.

Medici diuinis honoribus culti.

Ad hæc vt medicina nobiliſſima ſcientia eſt, cùm ſubiecti ratione, tum demonſtrandi certitudine, vt ex 8. topic. & 1. Ariſtot. de anima

Medicina ſcientiarum nobiliſſima.

anima lib.in medicis apophthegmatis probauimus: cunctiſq; artibus præſtat, teſte Hippocrate libro de lege. Ita medicus præſtantiſſimus eſt, qui vt erudita lexipyretus clariſſimi Doc. P. à Bayro Taurinenſis adiudicat, reliquos omneis profeſſores, equis (vt aiunt) albis præcedit, quandoquidem ſcientiam habent medici non vna aut altera ſed omnium conſortio doctrinarum conſummatam, contemplatricem atq; actiuam: libro diuiſionum Ammonij, primo theorices Haliabbat.& prima primi Auicennæ. Quocirca non laudandus ſolùm, ſed honorandus quoque medicus eſt. laudatur ſiquidem actio, contemplatio verò honoratur, quando hæc finis eſt, altera ad finem, vt liquet ex primo Ethicorum: & vt autumat Volaterranus in primum Ariſtotelis de anima. Proinde medicum honore dignum pronunciat Eccleſiaſticus ſcriptor. Honora (inquit) medicum: & Homerus Iliados λ. dum canit.

Medica apophthegmata.

Medicus laudādus & honorandus.

ἰατρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων. id eſt,
Vir medicus multis alijs æquandus honore eſt.

D E

DE DOGMATICO-RVM CONSILIIS.

*

SERMO V.

PLVRES medicos ad conſultandum conuocandos eſſe, & maximè in dubijs ægrotationibus, mandat Hippocrates lib. de præcep. his verbis: nec turpe præter'ue rem eſſet, ſi quis medicus anguſtaretur, ambigeret'ue, in aliquo languente, vel non multo vſu, peritia'ue hallucinaretur, cenſere medicos alios accerſiri: vti communi conſilio collocutione'ue diſquirant, quæ ad eum languentem pertineant, ſimulq; coadiuuent, auxilioq; abundent. Idem ſentit autor libri qui Ariſtoteli inſcribitur de Principum regimine. Præterea præcipit Hippocrates ne vnquàm medici verbis, præſentibus languentibus diſceptant. Nam hoc exiſtimationem autoritatemq; eleuat, & imbecilliorem reddit, quod negociantium & in foro verſantium eſt. Ob hoc (vt opinor) Rhaſius 6.apho. vnicum duntaxat medicum accerſiri vult, quia ex duobus non fit ſocietas: vt Ariſtot. verba ſonant 5. ethic.

Ethic.pluresq́; magna ex parte controuerſi ſunt ac inuicem contendentes, occaſione cœleſtis influentiæ, vt Conſil. putat differentia prima & Zerbus in cautel. Indeq́; illud apophthegma ortum reor: turba medicorum Cæſarem perdidit, cuius meminit Plin. 29. naturalis hiſto.

Iam verò medici quum conſultant, primò ſpeculantur res præter naturam, quarum maxima morbus eſt, per ſigna inſalubria, commemoratiua & indicatiua: illa ab ægrotantium famulantiumq́; narratione, hæc verò ab eſſentiæ ratione, operationibus atque caſibus aſſumuntur, ex ſecundo microtech. ad operationes actio læſa pertinet, ſicuti ad caſus, qualitas mutata & excreta vel contenta immodicè, vt patet ex lib. de ſymp. differen. atque inibi, actio læditur tripliciter, quia vixq́; vitiosè, quia nullo modo fit, ex iſtis indicijs paratur morborum notio interdum ſcientifica, & aliquando coniecturalis. Duplex enim eſt primo de lo. af. & 5. de tuen. ſanita. ſcientifica certis notis comparatur. 12. therapeu. metho. & lib. de plenitu. Certas notas Gal. nominat, quæ neceſſariò, probabiles quæ magna ex

Morborum duplex notio.

Certæ notæ & probabiles.

parte morbum ſequuntur. 5. de loc. aff. & lib. de ren. aff. certas notas in ſignis ſcientialibus & proprijs, probabiles verò in artificialibus concludit, atque ſcientialia colligit ab eſſentiæ proprietate, à rebus contentis, à rebus adhærentibus & à contentis in ſpatio, primo de loc. affec. Non ſcientificam morbi cognitionem probabilibus indicijs nanciſcimur, & per coniecturam artificialem, quæ media eſt, inter exactam notitiam & omnifariam ignorantiam. 1. de loc. affec. & 1. de criſib. A rebus præter naturam, res naturales contemplantur conſiliarij, per ſalubria ſigna, quæ accidentia dicuntur. 1. therap. metho. quæ etiam ab eſſentiæ ratione, operationibus & caſibus mutuantur. 2. microtech. & prima ab eſſentiæ ratione deprompta certiſſima ſunt: teſte Halliab. 2. microtech. commento. 7. deinde ab iſtarum rerum cognitione curatrices indicationes accipiuntur. 1. ad glau. quibus omnis medendi methodus fit. 2. therap. metho. & à medendi methodo atque ab arte multifaria in particularibus exercitatione comparata (quam medico neceſſariam eſſe Galen. inculcat. 9. therap. & indicat. 1. ad glau.) ſana

Certæ notæ vnde colligendæ.

Morbi notio non ſciētifica.

ſanatiuum conſilium naſcitur. Cuius exordium à beneuolentia præcipuè, ſed non prolixum petatur, deinde narrationis vice propoſitione vtendum eſt, qua breuiter & dilucide affectus eſſentia exponatur: mox illa ſcientialibus aut probabilibus indicijs argutiarumq; (quæ opponi poſſunt) confutatione confirmetur: poſt hæc ad præſagitionem accedendum eſt. Eſt enim prænotio propter curationem.1.de ratio.vict.acu.mor.commento.3.cuius ſumma eſt conferre vim morbi cum ægri facultate.2.progno.gloſ.6.ex virtutis robore & morbi imbecillitate bona præſagia colliguntur contra ex morbi fortitudine & virium infirmitate mala.neutra verò ex pugna æquali,vt patet ex 2.microtech.& lib.de conſti.art. med. Virtutis itaque robur & imbecillitas ex proprijs functionibus cognoſcitur,ſicut morbi fortitudo & infirmitas ex ſymptomatibus, lib.de conſti.art.med.Poſtremò illarum rerum quæ neceſſariò corpus alterant regimen præſcribit conſiliarius,medicamentorumq; mentionem facere debet, quorum comperta ſibi facultate affectus curari, hoc eſt,reſtaurari ſanitas poſſit.

Methodus conſultationis.

Summa præſagitionis.

Virium & morbi robur vnde cognoſcitur.

DE DOGMATICORVM STIPENDIIS,

*

SERMO VI.

VALDE refert cuius gratia artes diſcantur: nam ex fine etiã quæ liberales dicuntur, ſordidæ fiunt: vt teſtatur Ariſtote. 8. Politi. Proinde ſapientia propter ſeipſam expetenda eſt, vt refert Galenus 2. Therapeu. metho. Nec fieri poteſt, vt qui artem non in hoc didicit, vt de hominibus bene mereatur, ſed vt diteſceret ad propriũ artis finem perueniat. Idem Galenus libro qui inſcribitur, quod optim. medicus idem ſit & philoſophus. Itaque Hippocrates in epiſtolis liberæ artis inquit: Libera ſint & opera. & libro de præceptis: Probus medicus fraternè curat, nec vtilitatem quærit, ſed potius exiſtimationi adhæret. Ex quo Menecrates Siracuſanus, Philippi Macedonum regis medicus, nullam accipere mercedem medendo ſolitus eſt, vt tradit Ælianus lib. de varia hiſtoria. Iam verò in Iſagogis ſapienter conſulit Soranus, vti mercedes medico ſi quidem dentur accipiantur & non

recuſen

recuſentur: ſi autem non dentur, non exigantur, quia quantum quiſque dederit non poteſt vlla exæquare mercede beneficia medicinæ. Cuius præmia centum talenta fuiſſe Plinius author eſt, lib. 7. cap.37. & centum talenta, ſexaginta aureorum milia valuiſſe, Budæus oſtendit ſecundo De aſſe. Plinius item lib.29. cap.1. ducenta & quinquaginta ſeſtertia annua mercede celebres multos medicos Romæ à principibus habuiſſe prædicat. Id autem eſt, ſex millia ducentos quinquaginta aureos: eodem interprete Budæo, loco citato. Proximum illud eſt, quod Taddæus Florentinus, cuius in Ioannitium & paruam artem docta extant commentaria, quinquaginta aureos in mercedem diurnam paciſci conſueuerat: & ab Honorio Papa eius nominis 4. ſemel vocatus non prius acceſſit, quàm centum aureos ſibi in ſingulos dies ſtatutos intellexit. Vnde eo ſanato decem milibus aureorum donatus eſt, vt narrant Mantuanus primo de patien. & Volaterranus in Anthropologia. Superioribus etiam annis Iacobus Canterius gallus præcellens medicinæ doctor menſtrua mercede decem aureorum millia

habebat à Ludouico eius nominis vndecimo Francorum rege. Apud quem permagna illi fides erat, vt in ſua Chronica Argentoneus teſtatum relinquit. Magna fuit apud Darium Democedis Medici autoritas excellentia, lucrum. Hic enim vt narrat Herodotus in Thalïa, duobus aurearum compedum paribus à Dario, quem ſanitati reſtituerat donatus eſt, & ab vxoribus eius aureis phialis præ-tioſiſsimis.

FINIS.


VI
VII
RVM
Eccle.
DE
RI
QVOD TIBI FIERI NON VIS, ALTERI NE FECERIS.
MU
PE
LE
RE
VNVM

DE MEDICA THEORESI LIBER PRIMVS.

*

Autore D. H. Montuo, Regiæ ualetudinis aſſertore, & à conſilijs.

LVGDVNI
APVD IOAN. TORNAESIVM
ET GVLIEL. GAZEIVM.
M. D. LVI.

Cum Priuilegio Regis.

H. MONTVVS MAGNIFICO *Archiatro Domino Lodouico Burgenſi Suo S.*

*

DVDVM à fonte Belenſi huc venit Anteſignanus quidam amicus meus: qui vbi me ſalutaſſet, eſt, inquit, ô Hieronime, quod doleas: nam quem amabas, vt qui maximè, Archiater perit. Nugaris, inquam, ſubmerſus ne eſt? vt olim Aiax homericus. Seriò, inquit, loquor, non perit, ſed obit. actutum non potui non dolere, ex tanta amici & doctiſſimi atque fortunatiſſimi Medici iactura. Poſt aliquot dies ecce tua epiſtola ad nos peruenit. Quę te conualuiſſe indicabat. Et perinde luctus in gaudium commutatus eſt. Verumq; eſſe apparet, quod ornatiſs. Abbas à ſaxo ſuis emblematis inſeruit, Extrema luctus gaudium occupat. Mirificè enim gauiſus ſum. Equidem opinor haud te potuiſſe hunc (quo nuper defunctus es) morbum contraxiſſe, quam ex iniquis laboribus; præſertim quum ſis in omni victus ratione adeò moderatus, affectibusq; ſic imperas, vt pari iugalium bonus Auriga. Præſtantiſſimos quoq; medicos prædicta ex cauſa aliquãdo ægrotaſſe credibile eſt. Quando ex alienis calamitatibus proprios colligunt dolores. Tu certè feriari nunquam, ſed in negotio eſſe ſoles aſſiduus, Atqui

Ferreus aßiduo conſumitur annulus vſu.

Ipſe nuper excubui 30. fere noctibus cum alijs duobus Medicis, vt morbi ſæuitiam contunderem, quo conflictabatur M. Comitiſs. à Tor. quę vtero gerebat cum his ſymptomatibus diarrhæa bilioſa cum torminibus & periculo dyſenteriæ, dolor capitis, difficultas ſpirandi, cordis palpitatio, animi frequens exolutio, vteri præfocatio, anorexia. Quæ omnia caſus erant febris continuæ, cui tertiana intermittens complicabatur: à quibus ſanata eſt auxilio dei opt. Max. Tu boni conſules, quod nouum libellum de medica theoreſi ad te mittimus, tibiq; dicauimus, vt eſſet amoris erga te mei, & grati animi indicium. Vale diutiſſimè & feliciter.

DE MEDICA THEO-RESI LIBER PRIMVS.

*

Autore D. Hieronimo Montuo.

De Medicinæ finitione. CAP. I.

AModo medicina effertur, forsã ex cauſa. Eſt enim medicina additio & detractio. lib. de flatibus. Atq; cõmendari videtur illo Heſ. Ænygmate πλέον ἥμισυ παντός.

Medicina ars & ſcientia eſt. Licet ab arte ſcientia differat. vt declarat 6. Ethic. Ariſtoteles. Ars eſt quatenus in indiuiduis exercitatione ac experimentis, conſequenterq́; memorijs atq; vniuerſali aggeneratur. Ad hunc nanq; modũ ars fit. Quod etiã Affranius àpud Gellium his verſibus expreſſit.

Vſus me genuit. Mater peperit memoria.
Sophiam vocant me Graij, Vos ſapientiam.

Verùm huſuſmodi ars, quæ longo vſu paratur, ab Hippocrate τέχνη μακρὴ dicta eſt. Vnde eos, qui ſolo vſu artem colligunt,

& diſcunt, Macrobios eſſe oportet, atq; perſpicaces: quò ex aliorum erratis rectiſſimè intelligant, quid aut ſequendum, aut fugiendum. Haud enim vlla huiuſcemodi diſciplina vſu parta exiſtit, in qua non peccando diſcitur, ſi Columellæ creditur: nam vbi quid perperam perpetratũ ſit improſperè, vitatur quod fefellerat, illuminatq; rectam viam docentis magiſterium. Nec puduit Hippocratẽ ſcribere, à ſuturis ſe deceptum fuiſſe. 5. epi. More ſcilicet, vt inquit Celſus, magnorum virorum & fiduciam magnarum rerum habentium. Contrà lenia ingenia quia nihil habent, nihil ſibi detrahunt. Magno ingenio multaq; nihilominus habituro, conuenit etiam ſimplex erroris confeſſio. Præcipueq; in eo miniſterio, quod vtilitatis cauſa poſteris traditur. Ne quis decipiatur eadem ratione, qua quis antè deceptus eſt.

Medicina quoque ars eſt, quæ eſt ſolùm vniuerſalium. 1. metaph. Quæ non ſolo vſu, ſed ex ſcriptorum monumentis paratur. Ex quibus naſcitur habitus intellectus actiui vera cum ratione factiuus. vt loco prçcitato Ariſtoteles artem definit. De qua Hippocrates

crates l. de artic. artem inquit non ſatis eſt ratione ſcire, ſed vſu experiri oportet: Nēpe qui artem hoc partam modo habet, experimentum non habet, à quo iudicium ſit certius. Propterea Ariſtoteles expertum nō artificem, artifice non experto melius operari credidit. Galenus quoq; 9. ther. non licet inquit vllius artis ſcientiam nanciſci, niſi & methodum habueris per vniuerſalia theoremata, & in particularibus te exemplis exerceas. Quo fit vt in omni diſciplina infirma ſit artis prçceptio, niſi accedat exercitationis aſſiduitas. Et velut ſcriptorū monumenta magis inſtruunt, quàm faciunt artificem, ita vſus & experientia dominatur in artibus, vt ſola artifices facere videatur. Quod adnotauit Columella.

Iam quum plures artium differētiæ ſint, Medicina ars factiua, imo potius refectiua exiſtit. Quoniam præſentem tueri ſanitatem, & corruptam reficere eius munus eſt. vt vult Gal. lib. de conſt. ar. med. Ars etiam coniecturalis Celſo medicina dicta eſt, forte quia artificiali coniectura, quæ media eſt inter exactam notitiam, & omnifariā ignorantiam, nonnunquam vtitur. Idq; in tribus

Locus Celſi declaratus.

potiſsimùm. vt pote, in affectuum dignotione, in præſagatione, & in exhibenda remediorum doſi. Ad hunc modum partem artis dignoſticam coniecturalem etiam Galenus facit.l.de plenit. Illumq́; meliorem in prædicendo dicit, qui minus errat.3.progn. com. 43. Deniq; remediorum quantitas vt aſſerit 1.ad glau. & lib. de phlebo. hanc artem in actu reddit coniecturalem. Quæ alioquin ex præceptis non coniecturalis, ſed firma eſt.vt Idem teſtatum relinquit lib. de præſtantiſſima Medicorum ſecta.

Medicina inſuper ſcientia eſt, per demõſtrationẽ videlicet mediatam, vt quæ naturali philoſophiæ ſubalternata ſit, cùm ſubiecti ratione.vt ſcribit Auer.1.collec.tum principiorum. ſiquidem ex his, quæ de natura ſunt, ſua ſumit principia Medicina.vt teſtatur Ariſtoteles lib.de S.& S.Proinde nomẽ ſcientiæ communius, non autem propriè accipere oportet. Scientia nanq; ſubalternata ſcientia propriè ſumpta non eſt.vt innuere videtur Auer.1.poſt. com.23. his verbis:ſciẽtia ſuperior eſt magis ſcientia quàm inferior. Et ſcientia ſuprema eſt maximè ſcientia.Nihilominus omnis ſcientia ſolùm

verorum

verorum eſt. quod aſſerit Ariſtoteles 2. Poſt. & 2. de anima. Corruptibiliũ non eſt ſcientia 1. Poſt. ſed ſcibilium, neceſſariorum & æternorũ. 6. Ethic. Quamobrem nõ modò phyſica, ſed etiam ipſa medicinæ ſcientia, ſiue communius, ſiue propriè ſumatur eſt conueniens, firmaq́; , & nunquàm à ratione declinans cognitio.

Herodotus lib. introd. demonſtrationis vim haud quaquam nouiſſe videtur. Quandoquidem ſcientiam ne ad homines quidem veniſſe exarat. Quem qui in hoc placitum ſequuntur, caligare in ſole (vt prouerbio dicitur) videntur omnes. Nec placet Galeno Pyrrhon Scepticus. Cuius volumen etiamnum magnum extat. Hîc enim deſperata veritatis inuentione, quam diu fruſtra quęſierat, in ſingulis hæſitabat. Et perinde eius Aſſeclæ negant certam rerum cognitionem. Hîc obiter addidiſſe non ineptum fortaſſe ſit, Quòd ſcientiæ mathematicæ in primo certitudinis gradu eſſe dicuntur. Non quidẽ vti reor, quòd reliquis theoricarũ generibus certiores, veriores'ue ſint. Quando nec magis, nec minus ſuſcipere veritas poteſt. ſed ob id ipſum potius, quàm

Herodoti locus erroneus.

earum axiomata ſumuntur à ſenſu. Qui eſt prima vis,qua cognitio habetur. Quęcunq; enim notione aliqua depræhendimus, ſenſu vel intellectu depræhendimus. vt tradit Ariſtoteles l. de S.& S.hisq; duabus viribus tantum cognoſcimus. Non tamen ignoro vnam ſciẽtiam altera exactiorem eſſe eundem dicere.

De medicinæ diuiſione. CAP. II.

ETSI verò Medicina prout factiua ars eſt, ſalubris & curatrix non ſit actiua, aut theorica, ſed correctiua. vt Gal. autumat l. an ſalubris ad med. an gym. pertinet. Quatenus tamen ſcientia eſt, rectè diſtribuitur in theoricem & practicem.non ab Auicenna modò, ſed ab Ammonio Plotini magiſtro, lib. diuiſionum à Theophilo, Oribaſio, & Philoteo. vt taceam difinitionum medicinalium autorem, Galenumq; ipſum, qui ſe multis de theoreſi,praxiq; medica tractaſſe voluminibus fatetur.lib.de libris proprijs.& 5. de lo.aff. Quod videri poteſt contra doctiſſimi Manardi in primam artis paruæ Galeni expoſitionem. Sanè diſciplina Ariſtoteli

ſtoteli triplex eſt, contemplatiua, actiua, & effectiua. 6. topic. Idem docet Auerrh. 6. metaphyſ. comm. 1. Atqui medicina ſcientia eſt, vt ſexcentis in locis affirmat Ariſtoteles. Ex cuius ſententia. Speculatiua ab actiua differt, obiecti, finis vel vtriuſque ratione. Hanc diſtribuit Herodotus in phyſiologiam, pathologiam, ethiologiam, & ſymeoticen. Phyſiologia contemplatur elementa, humores, complexus, membra, poteſtates & officia. Pathologia affectus præter naturam, morborum ſcilicet & ſymptomatum differentias declarat. Ætiologia cauſas ſalubres, inſalubres & neutras præuertentes, præuias & continentes. Ad hæc cauſarum ſermo, inquit, Philoteus in extrinſecam cauſam, in præcedentem, & continuam diuiditur. Signa ſymeotice ſalubria inſalubria & neutra demonſtrat. Eaq; vel demonſtratiua præſentium, vel prognoſtica futurorum, vel memoratiua præteritorum. Ex quibus liquidò theoricem medicinæ ſcientiam nihil aliud eſſe quàm rerum cõtemplationem naturalium, non naturalium, & earum quæ præter naturam ſunt, vt diffinit Ioannitius in ſuis

Speculatiua medicina.

Iſag. Illosq; errare, qui medendi methodum non ad actiuam Medicinæ ſcientiam, ſed ad ipſam ſpeculatiuam referunt.

Practica. Practice varias habet diuiſiones. At præcipuæ eius partes ſunt illæ, per quas finem licet conſequi, hoc autem eſt, ſanitatem tueri, aut reficere, nam τὸ πρακτικὸν, inquit Philoteus διαιρεῖται εἰς ὑγιεινὸν καὶ θεραπευτικὸν, id eſt, Actiua diſſecatur in ſalubrem & curatiuam. Hygieine optimam ſanitatem ſeruat, lapſam corrigit, morbum præcauat. Ideo eius partes ſunt enetice, gymnaſtice, dein pedotrophice, gerocomice, analeptice, & prophylace ſeu prophylatice. Quibus conſociant coſmeticem & commoticem.

Therapeutica. Therapeutica præſentem morbum curat. Cuius differentiæ à quibuſdam petuntur à morbis ſingularum corporis partium. Inde ophthalmice, quæ oculorum morbis perſpicit. Odentice dentium. Cynanchice cynanchis. Pleuritice pleuritidibus. Paracẽtice ſiue punctoria hydropicis atque ſuffuſis. Tomice ſiue inciſoria hernicis. Lithotomice calculum veſicæ, renum quoque vt docet Hippocrates execat. Hedrice affectibus ſedis medetur. Arthritice arthritidib.

Hydro

Hydrotice ſudaminibus. Hæc ad liquidum doctè proſequutus eſt Syluius noſter. Verùm Galenus artes per ſingulas actiones haud diſtinguendas eſſe, cenſet lib.an ſalubris & ca. ſed potius à remediis vniuerſalibus. Idcirco curatiua diſiungitur in diæteticam,pharmaceuticã & chirurgiam. Quarum prior à victus ratione, altera à medica mentis,tertia à manus artificio nomen habet, nam horum inſtrumentorum aliquo, curatio fiat neceſſe eſt, vt tradit Galenus 1. r.a. cõ. 17. & Auic. 4. p. Quibus non probantur differentiæ à remedijs particularibus ductæ. Quæ tamen in vſu nunc eſſe videntur, in curanda lue venerea. Nempe, Aleptice, Leptodiætetice, & Thymiamatice.

Aliabbas cum actiua medicina, artem operariam confundere videtur, iure ergo ab Auicenna repræhenſus eſt, etenim ex præfatis ſatis conſtat, actiuam Medicinæ partem,nihil aliud eſſe quàm ſcientiã, quæ docet vel præſentem tueri ſanitatẽ, vel corruptam reficere, hoc eſt, per additionem & detractionem operandi modum tenere, ſed ars operaria paucis ab Hippocrate deſcribi Actiua.

ſcribitur his verbis: eſt πρόσθεσις καὶ ἀφαίρεσις, id eſt, adiectio & ſubſtractio. lib. de flatib.

De medicinæ fini. CAP. III.

Duplex finis mediciuæ.

IN Medicinæ finis notitia à permultis variè eſt erratum, vti refertur apud Galenum 1. ther. Eſt autem finis duplex. Quoniam medicina duplex eſt. Theoricæ finis eſt ipſa fundamentorum ſcientia in praxim ſubordinata, vt colligitur 1. primi. Itaque Galenus lib. de cõſtit. ar. me. Artium, inquit, aliæ quidem in ſola rerum naturæ contemplatione, quas ſibi propoſuerunt conſiderandas, ſuum habent finem, vt Aſtrologia & Phyſice. At praxeos finis eſſe videtur præſentis ſanitatis conſeruandæ, corruptæq́; reficiendæ ſcientia, ad conſilium in particularibus exemplis ordinata. Modò finis eſſe rectè definiatur, gratia cuius aliquid fit, vt 2. Phyſ. Sed primarius finis, ſanitatis poſſeſſio eſt. lib. de ſect. Quemadmodum enim Ars tota à curatrice parte magis denominatur, ſic & artis finis, vt Galeno placet lib. ad Thraſib. Medicinæ finis, ait, ſanitas eſt, quam iam quieſcente Artifice demonſtrare va

re valemus. Quamobrem neque ſanitatem cuſtodire, aut vitiatam emendare, aut prorſus amiſſum recuperare, finis eſt. ſed omnia hæc actiones ſunt, finis autem ſanitas.

Qui differt à ſcopo, nam ſanitatem quouſq; ars non aſſequitur, non finis eius, ſed ſcopus dicitur. Quum autem contigerit, finis. Ex quo apparet, quòd medicus methodo curans nunquàm officio excidet, fine tamẽ interdum omnino excidet. Quod diſcrimen inter finem & officium Quintilianus non videtur cognitum habuiſſe. Porrò finis in artium diffinitionibus non actũ, ſed potentiam ſignificat. Idq́; indicare videtur Ariſtoteles 1. rhet. inquiens. Opus rhetoricæ non eſt perſuadere, ſed poſſe, quæ ſingulis credibilia ſunt, perſpicere, veluti etiam in cæteris artibus vniuerſis. Nec enim medicinæ eſt ſanitatem inducere, ſed quoadusq; poſſibile ſit, adusq; perducere. Quũ poſſibile ſit etiã eos, qui nullo poſſũt pacto ſanari, bene tamẽ curari. Hinc illud Naſonis, Medicum fine non officio excidere.

Non eſt in Medico ſemper releuetur vt Æger,
Interdum docta plus valet arte malum.

Itaque artes, in quarum poteſtate non eſt finem ſuum conſequi, ſine auxilio rerum

ext

externarum, Ariſtoteles intelligere videtur eſſe στοχαστικὰς, & in coniectura poſitas. Vnde hac etiam ratione Medicina coniecturalis eſt.

Sed cur Medicina finem ſuum non ſemper attingit? An id eueniat propter ignoratas indiuiduorum proprietates, quas accidentia, quæ materiei adſunt, in ſingulis indiuiduis procreant? Non ſecus, quæ peculiaria formæ inſunt accidentia, mores tam varios in hominibus gignunt. Si Auerrhoi credimus 6. collec. Ego, inquit Galenus, 3. ther. ſi cuiuſque priuatim naturam explorare ad vnguem ſcirem, vtiq; qualem fuiſſe Æſculapium mente concipio, talem me eſſe putarem.

De Medicinæ ſubiacentia. CAP. IIII.

OMNIS ſcientia circa tria verſatur, ſubiectum videlicet, affectionem, & dignitates, vt docet Ariſtoteles 1. Poſt. Ammonius quoque libr. diuiſionum, Ars omnis infit, ſcientiaq; ſubiectum habet & finem. Sicuti Medicina, quæ ſubiectum habet corpora humana & medicamenta, finem verò ad ſa-

nita

nitatem corpora reducere. Itaq; Galenus 2. de criſib. duplex ait materia Medicis adeſt. Altera in qua aduenit finis. Quę eſt ipſa hominum corpora. Secũda verò auxiliorum, à quibus finis efficitur. Ideoq́; ſubiectum duplex eſſe videtur, videlicet operis & ſcientiæ. Subiectum operis medicationi ſubiacet, vtpote, indiuiduum & ſingulare. Non enim hominem, niſi per accidens ſanat qui medetur. Sed Calliam aut alium, cui accidit hominem eſſe, huiusq́; ratione experimentũ periculoſum dicitur. 1. apho. com. 1. Sciẽtiæ ſubiectum non eſt ſenſibile particulare, ſed in anima exiſtens vniuerſale. Homo videlicet, ad quem tanquàm ad genus, quæ in ſcientia contemplantur, vniuerſa reducuntur. Hic etiam tanquàm ſpecies ſcientiam in peculiari reponit ſpecie. Nempe homo quatenus ſanabilis eſt, in alia ſcientia non ſpeculatur. Non temere igitur Auer. 1. de anima. com. 3. ſubiectum vocat genus & ſpeciem, & Ariſtoteles 1. poſt ſcientiam à ſubiecto habere vnitatem & diſtinctionem ſcribit. Rurſus 7. meta. ſcientia inquit accidens eſt, cuius eſſe eſt per ſubiectũ. Ex quo licet inferre, quòd in ſcientiarũ diffinition.

ſub

ſubiectum poni aut ſubintelligi debet. Indeq́; ſequetur, quòd Medicinæ ſubiectum non eſt ſanitas, vt opinatur cũ Diuo Thauma Manardus. Eſt enim medicina ſcientia non ſanitatis, ſed hominis ea ratione, qua ſanus eſt, & à ſanitate recedit. 1. primi ſiue ſalubrium, inſalubrium, & neutorum. 1. ar. p. Adde quod ſubiectum à ſcopo & protheſi, ſiue propoſito ſeparatur, vt aſſerit Auer. 1. phyſ. prologo. At medicinæ ſcopus ſanitas eſt lib. de ſect.

Hinc medicinæ ſcientia æſtimatione di gnanda cenſetur, ſi ſcientiarum præſtantia partim à ſubiecti nobilitate, partim à demonſtrandi certitudine colligenda ſit, vt docet Ariſtoteles 8. top. & 1. de anima. Sanè Medicina in ſummo honore ſemper fuit apud prudentes, vel Eccleſiaſtici teſtimonio, tum quia à Deo orta eſt, vt Idem aſſerit, tum quòd diſciplinarum omnium antiquiſſima celebratur, nam artes magicæ, non illæ quidem vanæ, ſed quæ phyſicæ philoſophiæ partis puriores, maximæq́; ſunt, inde fluxerunt. Quarum Autor perhibetur Zoroaſtes, vt ſileam, quod in confeſſo eſt, eam eſſe vtiliſſimam, vt quæ ſaluti hominum

hominum quæſita ſit.

Cæterùm vniuerſas ſubiecti partes phyſiologia hoc ordine contemplatur. Elementa, Temperamenta, Humores, Membra, Spiritus, Facultates, Functiones. Quæ quoniam ad humani corporis integritatem, perfectionemq́;, atque naturam concurrunt, res naturales à Recentioribus appellantur.

De elementis. CAP. V.

ELEMENTVM eſt minima pars eius, cuius elementum exiſtit, vt definit Galenus. Eius tamen ſimplex non eſt, niſi de forma aut prima dicatur materia. ceu apud Ariſtotelem effertur. 5. meta. Iuxta quem elementum ſimplex corpus appellatur, quòd eius ſecundum locum natura mouendi vnum principium ſit. Elemẽta non ſecũdum qualitates motiuas, per quas numerantur, atq; locantur, à Medico cõtemplantur, ſed quatenus ſunt eſſentialia ſanabilis corporis, alterationisq́; eius principia. Sanabile quidem corpus tangibiles qualitates actiuas paſſiuasq́; obtinet. nam ſi vnum, ſimplex'ue

eſſet homo, non doleret. vt demonſtrat Hippocrates lib. de nat.hum. A cauſa ſcilicet interna. Aliâs ſimplex à ſimplici, hoc eſt, elementum ab elemento pati poteſt. Ergo qualitatum ſubiecta, ſine quibus qualitates ſubſiſtere non poſſunt, homo habet, id eſt, elementa, quæ intrinſeca potentia aut actu, res naturales vocantur, ſed melius fortaſſe dici poſſunt virtute intrinſeca, vt ſentire videtur Ariſtoteles. Elementorum ſubſtantias & formas in mixtione ſeruari, declarat interitus, per quem omnia eò recedunt, vnde ſunt accepta, formæ tamen quia non ſunt liberæ, ſed veluti implicatæ & vinctę mutua qualitatum pugnãtia, poteſtate duntaxat ineſſe dicuntur. Sunt inquit Galenus 8. de plac. elementa in corporibus non actu, ſed facultate, hoc eſt, quatuor nobis humores inſunt. ex illis alimentorum interuentu procreati. Sic corpora vniuerſa conſtant ex miſcella quatuor elementorum; quorum ipſæ corporeæ ſubſtantiæ an per ſe inuicem permeent vel ſolę potius qualitates, vt id ſcire non ducit operæpretium, ſic nec pronuntiare vult Galenus. 1. de elem. & lib. de ſubſt. nat. facul. Sunt

tamen

tamen qui non quatuor ſed tria tãtum eſſe elementa autumãt. In quorum nnmero ſunt Druſianus, Maſſaria,& Cardanus. nam calorem in animalibus contẽtum, nec ignem eſſe, nec ab igne originem ducere aſſerit etiam Ariſtoteles 2. de partibus animalium. Quod de igne fortaſſis dictum eſt, qui eſt feruor,& caloris exceſſus, vt ipſe loquitur 1. meteo. Non item de illo viuifico, qui in cõcauitate lunæ continetur. A ſydere cœleſti ignis expuitur. vt ait Plin. 2. nat. hiſto. Sol & homo generant hominem. 2. phyſ. Prior itaq; ignis nullum animal generat. ſicuti ex glacie nihil generatur. cui proportione reſpondet. vt opinatur Auer. 2. de g.& cor. cõ. 21. Proinde ex tribus tantùm elemẽtis componuntur mixta. Quippe ex terra, aqua, aëre, atq; calore à cœlo dato,& non igne.

Sed mirum quòd in niue animalia quædam concreantur. in quibus, vt narrat Strabo 11. geograph. aqua optima continetur. Ariſtoteles quoq; 5. de gener. animal. in his, inquit, quæ nullam putredinem poſſe recipere exiſtimantur, naſci animalia nouimus. vt vermes in niue vetuſtiore, & in cypro beſtiolæ in medio igne naſcuntur pennatę,

paulò muſcis grandioribus maiores. quas pyraulas & pyrauſta vocari tradunt Plinius & Crinitus.

Æther quintum elementum eſt, vt ait Iarchas apud Philoſtratum 3. de vita Apol. Ariſtoteli etiam æther eſt cœli ſyderumq́; ſubſtãtia. ita dicitur qui ſemper currat motu circunductili, eſtq́; elementum à quattuor illis diuerſum. tum diuinum, tum interitus expers. vti refert lib. de mundo. ſed Galenus 6. epi. com. 4. Veteres inquit ætherem appellabant ambientem aërem, quum exactè eſſet purus. Iam elementa ſecundum poſſibiles primarum qualitatum coniugationes numerantur. 2. de gen. & cor. Quæ à qualitatibus ſumptis nominibus appellata ſunt calidum, frigidum, humidum, ſiccum. Calidum & frigidum à qualitatibus actiuis, humidum & ſiccum à paſſiuis denominatum eſt. frigidum quoq; magis quàm calidum eſt paſſiuorum. Cæteræ verò qualitates has primas ſequuntur. vt 4. met. & 2. de par. animal. Ariſtoteli placet. Calidum eſt quod congregat homogenea, & eterogenea ſeiungit. frigidum quod congenea & eterogenea counit & congregat, Humi-

dum

dum indeterminatum termino proprio, bene alieno. Siccum contra bene terminatum termino proprio, male alieno.

Summè calidum ignis, ſummè frigidum aqua, ſummè ſiccum terra, ſummè humidum aër. vt 2. de gen. & cor. Ariſtoteles autor eſt. nam aër maximè indeterminatus eſt termino proprio. Sed alia ratione Galenus aqua nihil humidius eſſe dicit. Quoniam nihil nos magis humectat: humectat quidẽ ſenſibilius, quia denſior. Materiæq; denſitas actionem roborat. vt omittam quòd humidum multifariè dicitur. Aër cæteris elemẽtis collatus calidus & humidus eſt, nobis tamen ſi conferatur, frigidus & ſiccus cenſetur. vt probat Maſſaria. Ignis ex motu ſpheræ ambientis ſiccitatem nanciſcitur. Ex ignis vicinitate caliditatem aër habet. Ex aëris vicinia humiditatẽ acquirit aqua. Ex huius demũ contactu frigiditatem terra poſſidet. ſi Iſaco & Aliab. creditur. Hinc fit, vt elementorum quodq; duabus qualitatibus præditum ſit. ſed vnam vt 2. de gen. & cor. retur Ariſtoteles, ſibi primo ac magis determinat, velut ignis eſt magis calidus quàm ſiccus. Aër magis humidus quàm ca-

 lidus.

lidus. Aqua magis frigida quàm humida. Terra ſicca magis quàm frigida. Galenus contrà vnumquodque elementorum duas ſummas qualitates habere autumat. Quoniam vnum quodq; quum ſit ſimplex ac impermixtum, intemperatas mixturaq́; carentes qualitates obtinet, ergo ſummas. huic placito Agarbo adſtipulatur. Nec tamen Ariſtotelis ſententia probabilibus deſtituitur rationibus quibus ſeſe tueri poſsit. Rectè igitur Damaſcenus vbi inquit Galeno & Ariſtoteli non conuenit. à ſolo naturalis ſciẽtiæ prouectiore veritas elici poteſt.

Iam verò ſumma caliditas leuitatis cauſa eſt, & grauitatis ſumma ſiccitas, vt innuit Algazel. Ex quo fit vt ſummè calidum ſit leue ſimpliciter. Summè humidum leue ſecundum alterum. Summè ſiccum graue ſimpliciter. Summè frigidum graue ſecundum alterum. Leue autem eſt quod natum ferri à medio eſt 4. cœli. Simpliciter leue, quod omnibus ſupereminet. Graue quod ad medium eſt ferri natum. ſimpliciter graue quod ſubſtat. Secundum alterum graue, quod ſubſtat & ſupereminet.

At grauia elementa ad generationem

membr

membrorum. eorũq; quietem, leuia verò ad ſpirituum generationem, eorumq́; & membrorum mobilitatem magis opitulari tradit Auic. Etiam vbi terra aquę cõmiſcetur, ſiue ſiccum humido tractabilitatem qua tendi coaptariq́; poſſit ab eo acquirit. Humidum contra ex ſicco admixto, firmitatem rei figuratæ ac complanatæ ſtabilitatem adipiſcitur. Per humidum quoq; friabilitas & diſſipatio ſicci prohibetur. Et è diuerſo per ſiccum fluor humidi ſiſtitur. Verùm ex aëre & igne elementa reliqua redduntur rariora, tenuiora, leuiora, atq; maturiora.

De temperamentis. CAP. VI.

ΚΡᾶΣΙΣ Galeno ſubſtantia'ne ſit, an qualitas, ambigitur. Quoniam temperaturæ accommodare videtur nomen ſubſtantiæ, non eo tamen modo, quo eſſentiæ nomen accidentibus per ſe conſideratis ab Ariſtotele 7. met. accommodantur. Siquidem temperamentum Galenus naturam ſubinde vocat. Atqui natura eſt principium motus & quietis eius in quo eſt 2. phyſ. 1. forma ſubſtantialis, vel materia. Natura quoque pro

 poten

potẽtia animalium gubernatrice ſumitur 1. apho.com.5.& pro calore naturali 6.apho. com. 22. Atqui innatus calor ſpiritus eſt 5. Simpl.ſpiritus autem ſubſtantia eſt. Rurſus ſi temperamenta propriam particularum ſubſtantiam complent. Si actio omnis magna ex parte à propria organi ſubſtantia, ſine temperatura procedat. vt idem aſſerit 1.de v.par.In confeſſo eſt temperamentum eſſe animam.Eſt enim partium ſingularum propria forma,actionum cauſa.Quid multa? quum idem explicatè prodat 2.de ſem. lib.de plenit.lib.de tremore.& 1.apho.com. 15.temperamentum à calore naturali & anima non differre. Quod etiam animaduertit Concil. dra. 17. & Leonicenus libr. de virt.form.

Verùm ab hac Galeni opinione longe diſſentit Nemeſius lib.de nat.homi. eamq́; conuellere nititur. Nec mirum. Eſt enim vbi metipſe Galenus temperamentum ab anima ſeparare videatur. nempe lib. quòd animi mores corporis craſim ſequantur. Inſuper ſi temperatura nihil aliud eſt,quàm ex quatuor elementis,ſeu calido,frigido,humido,ſicco,mixtura,vt definit lib.de temp.

& 3.

& 3.aph.com.2.conſequens eſt, temperaturam eſſe ſubſtantiam. Itaque calidum Galeno de ſubſtantia & qualitate prædicatur. 1. aph.cõ.14. Quamuis album Ariſtoteli, vel potius Architæ, qui libri prædicamentorum autor perhibetur, ſolam qualitatem ſignificet. Præterea temperamentum ſuum habere ortum ex quatuor elementis per totum miſtis, ſiue ipſæ corporeæ ſubſtantiæ per ſe inuicem permeent, ſiue ſolæ potius qualitates, ex Galeni verbis lib. de natural. facul. ſubſtantia concluditur. probabilius attamen illi videtur, quod temperamentum id, per qualitates fiat, & 1. de v. par. Eſſentia, inquit, ſingulis particulis à temperie quatuor qualitatum primarum accedit.

Proinde temperamentum Auicenna haud temerè definiuit quintam eſſe qualitatem, quatuor primarum vires complectentem, vt pote, quæ ex mutua inter ſeſe qualitatum elementorũ cõtrariarum actione & paſſione prouenit. Hanc geminam Gentilis facit, vnam inter actiuas, altera inter paſſiuas mediam. Alij in quorum numero eſt Angeſtus, non quintam qualitatem, ſed quattuor primarum qualitatum con-

geriem craſim eſſe diſputant.

Differentiæ nouem aſſignantur. Quarum vna temperata dicitur. Reliquæ verò intemperatæ. Prior duplex eſt, vna quidem ad pondus, ſeu temperata ſimpliciter, aut reſpectu totius naturæ. In qua ſcilicet prorſus æqua elementorum portio exiſtit. Nec vlla qualitas alteri contrariæ præpollet, ſed in ipſarum quatuor medio, exquiſitè eſt poſita. Quæ certè teſte Galeno cogitatione potius vſurpatur, quàm vt ſolidè ſubſiſtat. Altera verò ad iuſtitiam temperata vocatur, quòd in ea, illa exiſtit mediocritas, quæ ſingulorum viuentium naturæ maximè conuenit. Quæ verò à præfato medio, aut mediocri diſcedunt, dyſcraſiæ ſunt. Et iuxta numerum qualitatum ſimplicium, compoſitarumq; octo computantur, videlicet, calida, frigida, humida, ſicca. Calida & humida. Calida & ſicca. Frigida & humida. Frigida & ſicca. Has quattuor compoſitas à dominantium humorum nominibus Recentiores denominare ſolent. Sed perperam fortaſſis. Quoniam complexiones ab elementis, non ab humoribus naſcuntur. Niſi ad elementa referantur humores,

mores,vt 1.de elem.retulit Galenus, & 1.de t.ſ. Primordia, inquit, generationis noſtræ ſunt ſanguis ſemenq́; genitale, quorum ille ceu materies, hoc opificis rationem obtinet. At ſimplices dyſcraſiæ diu perdurare non poſſunt,nam vt Galenus 2.de temp.& 6. de t.ſ.& Auicenna prima primi tradunt. Quod calidius eſt iuſto, reddit corpus ſiccius. Et frigidius iuſto reddit corpus humidius, humiditate ſcilicet aduentitia. Quod verò ſiccius eſt iuſto, celerrimè reddit illud frigidius. Humidius quoque iuſto, ſi excedat, velocius infrigidabit quàm ſiccius.Sed ſi non excedat, tunc diutius illud ſeruabit, verùm reddet demum ipſum frigidius iuſto.

De temperaturis præter hæc ſunt naturalis. Quæ formæ inſtrumentum eſt naturale. Sicuti craſis aſcititia eſt formæ inſtrumentum aſcititium, nempe natura mutata in melius aut deterius, citra tamen ſenſibilium actionum offenſam.Naturalem rurſus diſtribuunt in innatam & influentem, & eam, quæ ex vtraque conflatur,in ſequens formam ac in ſequens materiam, atque in aliam,quam ex coalternatione vocat Agarbo. in ſumma quæſtionum. Sed Florus in

colle

collectaneis, naturalem diſpariliter ſecat. in fixam videlicet & fluentem. Fixa prouenit ex prima quatuor elementorum in generationis noſtræ primordijs repertorum commixtione. Hæc inſuper in materialem & formalem diuiditur. Materialis fluit ac refluit, deperditur reficiturq́; ceu & ſubiectũ eius. Formalis cõtrà vna numero, eademq́; manet. De qua Damaſcenus in aphor. natiua, temperies inquit, re ipſa ſeparari nequit. Fluẽs verò ex qualitatibus humorum in principibus membris ex alimento generatorum efficitur. Vtraq; rurſus gemina eſt. Moderata & lapſa. Moderata vel eſt imaginabilis & non ſubſiſtens, vt temperata ad pondus, vel ſubſiſtens, vt temperata ad iuſtitiam. Quæ triplex exiſtit, prout conuenit ſpeciei, indiuiduo, & indiuidui partib. Sciendum quoq;, quòd indiuiduum quodlibet habet temperaturam peculiarem ſibi propriam, cum qua nullum aliud poteſt cõmunicare, vt adſtruit Auic. & Porphyrio in prædicabilib. indiuidua dicũtur. Quoniam ex proprietatibus conſiſtit vnum quodque, quarum aggregatio in alio nunquàm eadem erit. Proinde non communem ſolùm

omnium

omnium hominum naturam, ſed cuiuſque propriam noſſe Medicus debet, vt in medendo perfectus euadat.

Iam hominis temperati indicia non ſolùm ſumuntur ab actione naturalium vitalium & animalium perfectione, ſed etiam à partium ſimilarium encraſia,& organicorum ſymmetria, A quantitate totius & partis, A qualitate tactili, viſili, patiendiq; difficultate,de quibus fuſe ſcripſit Syluius. Sanè ex ſoluta difficili actionum integritate euſarcon Galenus æſtimat libr. de enoxia. Hunc verò & longioris eſſe vitæ, & perfectiores habere operationes aſſerunt 2.ar.p. doctores gloſſamatarij. Sed hîc notaſſe haud erit alienum, quòd acumen cernendi, aliorumq; ſenſuum, bifariam intelligere oportet, primùm quọd procul cernere poſſunt,ſecundò, quòd differentias rerum, quæ cernuntur, quàm maximè ſentiant. Quæ ſimul nullis eiſdem contingere autor eſt Ariſtoteles.5.de gen.animal.Itaque ſi rectum,vt ait 3.de anima,ſit ſui & obliqui index & regula. dyſcrati hominis notæ ex commemoratis ſatis intelliguntur,quæ etiã latè 2.ar.p. explicantur. Nec his adiungere

ſubte

ſubteriora incongruum cenſeo. Ex iuuenibus nati parentib. principalia membra robuſtiora habent, quàm qui ex decrepitis aut pueris, vt in aphoriſmos retulit Damaſcenus. Item ait à parentibus ad prolem deſcendere conſueuerunt non ſolùm corporis lineamenta, dyſcraſiæ, & morbi, ſed & animi vitia. Rurſus, qui, inquit, aromatum horrent odorem, corruptam naturæ ſuæ temperiem arguunt. Senilis iuuenta præmaturæ mortis ſignum eſt, vt apud Plin. 6. nat. hiſtor. Cato prodidit. Velox etiam augmentum vitæ breuioris nota eſt, vt Iacchimo placet. Et minus integra eos frui ſanitate indicat Hippocrates, quibus nares natura humidiores, & genitura humidior ſunt. 6. epiſ. & 6. aph. Duo enim canales, qui per palatum in os, totius cerebri excrementa eructant, ſoli expurgando cerebro ſufficiũt, quandiu omnino id rectè valet, vt ſcribit Galenus 4. de vſu.p. Omnibus morbis obnoxia infirmitas eſt, teſte Celſo lib. I. Teſtatur & Galenus lib. de opt. corp. conform. diſtemperatas naturas à cauſis vinci morboſis, etiam debilibus. Attamen eſt alia ratio roboris & longioris vitæ, nam ſi Ariſtoteli

teli credatur 1.rheto. Multi abſq; virtutib. corporis, id eſt, ſine robore, & ſanitate diu viuunt.

Ad ſummam, totius corporis habitus hepatis & cordis naturam ſequitur, ſed ei magis aſſimilatur, quod vnam aliquam ex primis qualitatibus potentiorem habet. Et horum; ſingularumq́; partium notæ, ſumendæ ſunt ab his, quæ ſecundum eſſentiæ rationem ipſis inſunt, atque ab his, quæ ex neceſſitate conſequuntur, operationib. & à caſibus, quæ accidentia vocantur. 2.ar. p. Et 2.de temp. Tactus inquit, eſt inſtrumentum qualitatum diſcernendarum, calidi frigidiq́; corporis ſolus eſt index. Humidi autem & ſicci vna cum tactu, ipſa ratio. Vnde quales partes tactu ſentiuntur, tales natura ſunt. Niſi aduentitia ſit qualitas. Duricies, gracilitas, & macies à ſiccitate originem habent. Mollities, corpulentia, & pinguedo ab humiditate. Ex venarum latitudine calidos, ex earũ anguſtia frigidos iudicat Auic. 1.cantico. Qui 1.primi membrorum temperaturas cum Galeno hac ſerie collocauit.

In corpore calidius eſt ſpiritus & cor, mox iecur, deinde caro, ab his muſculi, lien, & renes

renes,poſt hos arteriæ & venæ,frigidius pituita,mox pilli, poſteà oſſa, cartilagines, ligamenta & chordæ, deinceps membranæ & nerui, poſt quos ſpinalis medulla & cerebrum.Poſteà ſeuum,pinguedo,& cutis. Humidius pituita, proximum ſanguis. Ab hoc pinguedo, deinde ſeuum, cerebrum, medulla dorſi. Poſtea caro mammarum, & teſtium.Pulmo,hepar, lien, renes,& muſculi, cutis. Pulmo tamen ex ſui natura non eſt maximè humidus. Quoniam quodlibet membrum ſua naturali temperie ſimilatur rei, quæ ipſum alit. Sed ſua accidentali temperatura ſimilatur rei, quæ in ipſo relicta fuerit. Siccius verò ſunt pili: poſteà eſt os, cartilago,copulæ: deinceps chordæ, membranæ, arteriæ, venæ : poſtea nerui motus. ab his cor : deinde nerui ſenſus.

Porrò ſciendum quod temperamenta immutantur ſecundum ſexus, ætates, anni tempora, & clymata. Eſt enim ſexus differentia maris à fœmina, potiſſimum per organa generationi dicata, nam maſculi genitalia foras, fœminæ verò intus exiſtunt. Itaque generationis principium eſt mas & fœmina. Sed mas vt mouens, fœmina vt

patiens

patiens. Item mas eſt quod in alio gignit, fœmina quod in ſe ipſo. Sexus tamen maſculinus fœmineuſq; non in omnibus animalibus eſt. Cãtharus enim fœmina nõ fit, teſte Plutar. ſed mares omnes gignuntur. In vulturum genere mas non reperitur, vt ait Orus. Anguilla neq; mas neq; fœmina eſt Ariſtoteli, 4. de nat. an. ſimiliter nec Scarabeus, vnde Auſonij in Cynedum ſcomma.

Non taurus, non mulus erit, non Hippocamelus,
Non caper, aut aries, ſed ſcarabeus erit. Item Phœnix mas'ne an fœmina ſit ignoratur.

Fœmina, vel mas hæc, vel neutrum fit mage, felix, Lactant.
Felix, quæ Veneris fœdera nulla colit.

Sexus autem peruenit ex temperatura & moderatione agentium ac principum, quæ in ſeminibus ſunt, qualitatum. Hinc pluria maris & fœminæ diſcrimina. Maſculus tempore breuiori formatur quàm fœmina. quia quod ſiccius eſt, citius accipit formam. Quod etiã mares calidiores ſint, citius formantur, ac mouentur fœminis. Calidiores autem eos eſſe oſtendunt tum ampliores venæ, tum color. Nigriores enim maſculi fœminis ſunt. Itaq; in dextris vteri partibus reperiuntur potius quàm in ſini-

ſtris,vt eſt ſententia Hipp.& Gallen.6. epi. Qua ex re calidiores, magis ſanguinei, & ſolidiores fœminis euadũt, quòd vteri pars dextra talis exiſtat. Sunt etiã maribus partes ſuperiores,prioresq́; in omni animalium genere potiores & validiores. Contra inferiores poſterioresq́; fœminæ habent robuſtiores. Adhęc maſculi ſuis fœmellis diuturnioris ſunt vitæ,niſi laboribus attriti fœmellis citius ſeneſcant. Excipe equas & Aſinas, piſciumq́; fœminas, quas maribus viuaciores eſſe narrat Ariſtoteles loco pręcitato. Et vt compendio dicam, fœmina eſt maſculo frigidior humidiorq́;. Ideo ob temperamenti humiditatem non calueſcit. eſtq́; carne mollior,viribus imbecillior. Itaq; propter imbecillitatem naturalis potentiæ eius incrementum citius quàm maſculi deſinit.

An verò ſexus mutari poſſit? vt de Ceneo & Tyreſia fabulantur poëtæ, ferunt hyenam ſexum mutare,vt nunc mas, nunc fœmina ſit. Quod & Plinius prodit 8.& 28. natural. hiſtor. Apud quem ſcriptum in 7. etiam eſt,Ex fœminis mutari in mares non eſſe fabuloſum. nam virgo quædam vt teſtatur Volaterranus nuptiarum die, ſubitò

erup-

erupto genitali vir marito apparuit. Idem contigiſſe in altera virgine, quæ illi erat in famulatu, à ſereniſſima Regina Elienora Carolis 5. Imp. germana auditione accepi, ſed in his, ſexus potius detectus, quàm mutatus fuit.

Cæterùm plantis & arboribus vtrunque ſexum eſſe rerũ naturæ conſultiſſimi Theophraſtrus, Dioſcorides, Plinius (vt alios taceam) tradidere, ſed impropriè, quum illis maſculi & fœminæ diffinitio non competat. Ea tamen diſtinguntur appellatione, quòd quædam præfatis inſint maſculorum fœminarumq́; proprietates. Quippe planta cui maior vis, aut facultas, adeſt, maſculi indepta nomen eſt, Cui minor fœminæ. Alia etiam ratione ſecundum Rhodoginum in plantis maſculus & fœmina dici poſſunt. quia maſculina virtus & fœminea, quæ in animalibus ſunt diſcretæ, cõiunctæ in plantis ſunt. Sanè in Androgynis vterq; ſexus ineſt, & vis vtriuſq;, quod pateſcit in leporibus. Ipſe noui hermaphroditum, qui ſequioris ſexus ſeu muliebris putabatur, viroq́; nupſerat, cui filios aliquot & filias peperit, nihilominus ancillulas comprimere

& in his generare ſolebat.

Ætas tempus totius vitę animalis eſt, in quo corpus cum ſuis facultatibus creſcit, ac decreſcit. Primùm latenter, mox manifeſtè. Neceſſe eſt enim omne quod generatur augmentum habere, ſtatum, atq; declinationem. vt eſt Ariſtotelis ſententia 3. de anima. Etſi animal per complexionem ſuam variatur in ætatibus, vt loquitur Auicenna 1. cant. manifeſtum eſt, ætatem dici poſſe de craſi, quæ temporum viciſſitudine variatur, ex actione inſiti caloris in humidum. Quod Neoterici diuidũt in alimentarium, elementale, & oleoſum, hoc natiuum vocant. Nos geniti, vt Gal. inſtit. lib. de morb. tempo. ad vigorẽ vſq; augeſcimus. Inde iam contabeſcere incipiẽtes, ad extremam vſq; corruptionem declinamus, ſi omnes ætates pertranſituri ſumus. Rurſus, vna, ait, corruptelæ interituſq; connata neceſſitas, ſiccitas videlicet in ſolidis continuo procedens, actione naturalis caliditatis in humidum.

Iam verò ætatum varia apud varios eſt diſtinctio. Nam Varro quinq; gradus facit. Proclus ex numero planetarum ſeptem numerat. Sed Philo libro de mundi opificio decem

decem ſeptimanis humanam vitam complectitur his elegiacis:

Impubes pueri ſeptem voluentibus annis
Claudunt enatis dentibus eloquium.
Poſt alios ſeptem diuorum numine dextro
Occultum pubis naſcitur indicium.
Annis ter ſeptem prima lanugine malas
Veſtiet ætatis robore conſpicuus.
Quartus id augebit ſeptenarius, isq́;
Optima virtutis proferet indicia.
Adde alios totidem, feſtinans ocyus ætas
Coniugio monuit quærere progeniem.
Sexta ætas animo ſi quid deeſt, addet: eaq́;
Diſces quid deceat, quid quoq; dedeceat.
At quæ ſuccedunt per proxima ter duo luſtra,
Ornabunt linguam dulcibus eloquijs.
Nona ætas languet, tum frigida mēbra retardant
Virtutem, non unquàm interituram animi.
At quiſquis decimam poterit contingere metam,
Iam tempeſtiuo funere conciderit.

Sed rectius Herodotus libr. introd. & autor def. ætates in quatuor differentias diſtribuunt. Certè conuenit, ſi etiam Galeno credimus, com. in Polyb. der. v. vti quatuor ſunt temperamenta, ſic ætates quoq; quatuor conſtituere, videlicet humidam & ca-

lidam puerorũ, quòd in alio temperamẽto corpora increſcere nequeant, ſiccam & calidam florentium. Temperatiſſimam puberorum, ſeu Adoleſcentum, & epheborum. Quæ inter pueros & florentes media eſt, Siccam & frigidam declinantium. Humidam & frigidam decrepitorum. ſunt enim ſenes ſicci ſolidis corporis particulis: humidi verò quia multis ob temperamenti frigiditatem recrementis abundant. 2. de temp. & 3. S. Huc etiam pertinet de pueri & iuuenis calore diſceptatio, ſuper qua Galeni in 2. de temp. videtur ſententia, quòd puer calidior eſt iuuene. copia calidæ ſubſtantiæ. Iuuenis contra puero calidior caloris acrimonia. ſiquidem prima die homo calidiſſimus eſt innato calore, vt aſſerit com. 2. in lib. de nat. hum. Ergo ſequentibus diebus calorem remitti neceſſe eſt.

Inſuper ſciẽdum ex Galeno 6. de t. s. & 3. aph. com. 27. Quod ętates annorũ numero circumſcribere non eſt. Niſi forte in latitudine quadã, quòd non ſit vnus omnium terminus pubertatis, propter caliditatem, frigiditatemq́; temperaturæ. Calidi enim citius, frigidi tardius pubeſcunt. Ideo initium

pubert

pubertatis aliquibus contingit 14. anno. nonnullis 15. vel 16. Initium verò remiſſionis quibuſdam 30. anno accidit. & nonnullis poſt 35. At robur in omnibus minuitur poſt ſummi vigoris ætatem: Durat tamen pueritia vſq; ad pubertatẽ. hæc ſub ſe complectitur adoleſcentiam. Quæ Galeno autore v.aph.9. & 3.com. 30. ab anno 18. incipiens ad 25. durat. A quo anno vſq; ad 25. iuuentus extenditur. hanc ſequitur prima ſenectus, quę finitur anno 49. huic ætas ſuccedit decrepita. & ad finẽ vitæ extenditur.

Aliter Varro, cui pueritia anno terminatur 15. Adoleſcentia 30. Iuuentus 45. Senectus 60. deinde ſenium. Sed his numeris vt dictum eſt, ætates diſtinguere omnino abſurdum, & potiſſimùm in polychronijs. Nanque vt omittam Neſtorem, & reliquos longæuos in Gentilium hiſtorijs celebratos, plures Hebræorũ nogẽtos annos exceſsiſſe teſtis eſt Moſes in Geneſi. Nec Hebræis menſtruus erat annus, vt Plinius credidit 7. nat. hiſto. ſed duodecim menſibus commenſuratus. Quod ex Hieremia propheta probauit Pictorius in ſuis dialogis, & ante eum Mantuanus 1. de patientia. Eſſe tamen

pleraq; bruta hominibus viuaciora ſequens ex Græco trãſlatum meminit epigramma.

Nempe nouẽ Cornix hominum prope tẽpora viuit.
Cornicum quater & Ceruus. Trini quoq; Cerui
Coruus. Itemq́; huius pertranſit meta nouena
Phœnix, quam decies ſuperamus tẽpore Nymphæ.

Quod autem ad anni tempora attinet, veris initium, quòd hyemi proximum ſit, ad frigus propenſum eſt: finis verò, quia æſtati affinis eſt, ad ſiccitatem. At Veris medium temperatiſsimum eſt, & non calidum & humidum, vt Galenus docet 1. de temp. & 3. de ca. pul. Æſtas calida & ſicca. Hyems frigida & humida. Autumnus ſiccus, & in calore & frigore inæqualis. Hæc itaq; anni tempora, vt tradunt Aphrodiſeus 2. probl. & Moſes in ſuis apho. diei & noctis ſpatiũ imitantur. Prima enim diei pars vſq; ad meridiem Veri ſimilis eſt. Meridies æſtatem ſimilat. Hinc ad veſperam ſpecies agitur Autumni. Nox Hyemen præfert. Quidam certis anni temporibus ægrotaſſe perhibẽtur, vt apud Valerium Antipater Sidonius. Sũt periculoſi climaterij, ſiue ſcalares anni, ſi Materno creditur. Hos per hebdomodas Cenſorinus, Ficinusq́; diſtribuunt, & in fine

cuiuſq

cuiuſque vitæ periculum nuntiant, præſertim quadrageſimo nono anno, vbi numerus ſeptenarius quadratus venit. Secus Plato. nam climaterios annos ex nonario conſtare voluit, ſexageſimoq́; tertio anno magnam ineſſe vim, propterea quòd ex vtroq; numero multiplicato conſiſtat. Qua ex re apud Suetonium lætatur Auguſtus, quum ſexageſimum tertium annum præteriſſet. Quibuſdam prætereà certis aut ſtatis anni temporibus eueniunt fœlicitates, vti Ælianus commemorat de Athenienſibus, qui Februario victorias maximas adſecuti fuerunt. Februario quoque noſtris temporibus Carolo 5. Imperatori Auguſto, Regni corona indita, & victoria fœliciſſima etiam abſenti contigit. Sed fortuna, vt hodie videmus,

Nec quos clarificat, perpetuò fouet.
Nec quos deſerit, perpetuò premit.

De regionibus, quas ſemper cum anni tempore, & ætate conſiderare iubet cum Hippocrate Galenus 8. de plac. Temperata quidem veri reſpondet. Calida æſtati. Inæqualis calore & frigore, ſed frigidior, & ſiccitate redundãs, Autumno. Humida fri-

gidaq; hyemi.

At nunc de climatibus noſſe oportet, quòd ſingulis locis vbi dies eſt vna hora maior quàm in alio magis æquinoctiali vicino, dicitur conſtitui clima, hoc eſt, inclinatio vmbræ. Vnde à 12. horis ad 24. ſunt 12. climata ponenda, ſi Poſtello creditur, donec videlicet facta dies 24. horarum, & inde ad ſex menſes vſque, ſenſim creſcendo perdat vmbrarum meridianarum rationes. Sed iuxta communem opinionem quarta terræ pars, quæ eſt ab æquatore ad polum arcticum contẽta, ſecatur in ſeptem climata. Et à recentioribus, quibus innotuit poli eleuatio graduum duntaxat octuaginta, in octo. Verùm ſi vniuerſa terra inquit Maſſaria in 360. gradus rectè diſtribuitur, quarta eius pars erit nonaginta graduum, & cõſequenter climata nouem, inter ſeſe decem eleuationis gradibus diſtincta. Primum clima eſt calidiſſimum, ab æquatore ad decem graduum eleuationẽ. Nonum eſt Frigidiſſimũ, ab 80. eleuationis gradu ad nonageſimũ. Intermedia verò ſunt magis, vel minus temperata, prout plus vel minus accedunt, vel recedunt ab his extremis. Gale-

nus

nus 2.de t.S.& 3.aph.com.14.quartum tem peratiſſimum facit. Ariſtoteles 2.mete.quar tum & quintum alijs præfert. Auerrhoi 2. collec.homines quinti climatis ſunt tempe ratiores. Contrà Manardus 7. epiſtol. ſextum temperamento magis propinquum eſſe diſputat.

De humoribus. CAP. VII.

NVTRIMENTVM eſt quicquid ſubſtantiam corporis augere poteſt. Vnde duplex exiſtit. Merum quod alimenti tantum rationem obtinet, vt quod medij eſt temperamenti, nulla eximia qualitate præditum. Mixtum ſiue Medicinale eſt quod nutrit, ſed ſumentis corpus in qualitate immutat. Eius enim natura ex cibo & medicina commiſtaeſt. Nutrimentum item trifariam dicitur, quod nutrit, quia iam aſſimilatur: quod veluti nutrimentum eſt,quia appoſitum & agglutinatum, & quod futurum eſt nutrimentum in ventriculo, venisq́; contentum. Proinde contraria contrarijs, & ſimilia ſimilibus ali ſcienter dictum eſt, Ariſtoteli Themiſtio Auerrhoi.2.de animal.fu

turum

turũ nutrimẽtum ſunt edulia ex cerealibus ſeminib. plantis & animalibus ſumpta, chylus, & humores. Veluti nutrimentum ſuccus qui à vaſis excidit, & in totam animalis particulam diſpergitur, mox adiungitur, deinde agglutinatur. Id eſt, quatuor humiditates nõ excrementoſæ, vt loquitur Auic. prima primi. Quæ ſecundum Ariſtol. 2. de part. animal. à ſanguine non differunt. ſed quod nutrit, ſuccus eſt præfatus, qui iam aſſimilatur.

Quod autem futurum eſt nutrimentum alteratur in ore, ventriculo, hepate, & venis. nam iecur per venas vniuerſis partibus alimentum ſuggerit. Illi ventriculus, huic os. Atque huic rurſus partim toſtio, partim coctio, vel frictio, vel ſimplex quædam perfuſio. Etenim quæ prius elaborata concoctaq́; ſunt, magis quàm incocta mutantur. Sicq́; concoctiones mutuo ſeſe excipiunt, vt ſcribit Gal. lib. de euchy. & caco. Verùm coctiones ſequentes priorum vitia emendare nequeunt. Idcirco ad ſuccorum bonorum generationem, nihil adeo cibis omnibus miniſtrat, quàm in ventriculo probè obita concoctio. Tametſi interdum

prima

prima & ſecunda concoctio perficiatur, & in tertia accidat noxa, quod etiam Galenus affirmat.

Alteratio, quæ in ore agitur, mutat alimentum manſum in aliam ſpeciem manifeſtè, præſertim ſi pituita, quæ in ore habetur imbuatur, & cum ea miſceatur, deinde carnem quoque eius contractarit. Eſt igitur, ciborum commanſio ſeu manducatio, eorum ad ſequentes concoctiones præparatio. Cibi illa minutatim diuiſio facit (vt ait Ariſtoteles 2. de par. animal.) vt calor, facilius cõficiendo expediat. A nobis mutationem eo accipiunt facilius, vt inquit Gal. 1. S. quo cibi particulæ commanſæ fuerint minutiores.

Alteratio, quæ in ventriculò fit, maior eſt ea, quæ fit in ore, propter ea, quæ in ventre ſunt, pituitam & bilem, ſpiritum & calorem, & ob totam ventris ſubſtantiam, viſceraq́;, quæ illi adiacent, tanquàm magno lebeti plures ignis foci, vt loquitur Gal. 3. nat. vir. Qua ex alteratione nutrimentum in chylum vertitur. Eſt enim chylus, quod à coctione primum ptiſanę cremori perſimile eſt, vt finit Herodotus lib. introd. Pituita

etiam

etiam in ciborum prima mutatione generari videtur,ex ſententia Galeni cõ.de nat. hum. videlicet in ventriculo & inteſtinis, ſaltem ex cibis pituitoſis. Inteſtinis enim virtus quædam ineſt, concoctrix ciborum 2.nat.vir.In quorum tenuibus ſtercus creatur ex chylo. non per ſeparationem à chylo,ſed per alterationem magis,quæ ad ſubſtantiam terminatur, vt ſentit Leonicenus lib.de erratis.

Alteratio demum quæ in hepate & venis celebratur, reliquis duabus maior eſt. Quoniam ex chylo inibi fit χυμὸς, ſeu ſanguis, ac humores reliqui, per propriam iocinoris facultatem. Nanque hepatis caro, primum ſanguificationis organum eſt. Venis etiam facultatem ſanguinis generatricem natura indidit, quamuis nullæ ſanguificationis gratia factæ ſint venæ, χυμὸς ſecundum Galenum 4.de vſu par.eſt humor ruber, ignis diuini in humido calore proportionem & affinitatem præſeferens.

Galenus 2. natur.vir. & 4.de vſu par.humorum generationem declarat exemplo muſti alteraſcentis ex eo, quem in ſe habet calore. Videnturq; humores eſſe, ani-

ma

malium, quæ ſanguine prædita ſunt elemẽta. Etenim ſanguis aëri aſſimilatur. Pituita aquæ. Flaua bilis igni, Terræ verò atra, hinc animal μικροκόσμος ab Ariſtotele dicitur, ſed hominem pluris eſſe conſtat. Eſt enim omnis creatura, quòd intra ſe mortalia immortaliaq; complectitur, id eſt, animũ perennem, & irrationalia rationalibus coniungat, hinc eius laudes à Nemeſio, lib. de nat. hominis & à Pico, in heptaplo celebrãtur.

Succi porrò ſunt corpora orta ex prima miſtura elementorũ prima primi. Qui quatuor numerantur ab Hippocrat. lib. de nat. hum. Quanquam ille nonnunquam humorum numero addat ſerũ, vt 4. de morb. Herodotus etiam & Galenus quatuor tantum ſupputant. Totidem enim ſunt elementa, temperaturæ, anni tempora. Ex quibus quaternarij rationem ducunt Galenus 2. nat. vir. Auerr. 4. collec. & Auic. 1. cant. Sed Aphrodiſeus autor eſt 2. problem. humorum proportionem ſic naturam ſtatuiſſe, vt ſanguis cæteris materijs omnib. eſſet largior. Pituita locum teneret ſecundum. Flaua bilis tertio loco haberetur. Bilis atra ſortis eſſet poſtremæ, hanc quoq; ſententiam

Gale

Galeni autoritate Moſes tuetur. 2. ſuorum aphor.

Iam humores, vel ſunt naturales, id eſt, qui vſum aliquem naturæ conferunt. Vel ſucci inutiles & præter naturam. Item aut ſynceri ſunt, aut permiſti. Forſan quòd omnis humor ſyncerus inutilis eſt, & præter naturam. Quoniam omnis ſyncerus præter ſanguinem ſignificat prauum morbum, teſte Galeno 2.prog.com.47. Et ſanguis ſyncerus in venis nunquàm comprehenditur. lib. de plenit. Atqui venas egreſſus non in ſui natura permanet. 6.aph.com.20. Accedit iſtis, quòd ſanguis merus niger eſt, ergo vitioſus. Mera autem appellat Galenus, quę natiuum colorem retinent. 3. epi.com.1. & 2. Rurſus ſi optimi ſanguinis conſiſtentia mediocris ſit, vt vult Gal. & Aliabb.1.theo. ſanguis craſſus vitioſus erit, aut propterea quòd melancholicus ſit, aut quia crudus. Vitioſus quoque eſt & tenuis. Atqui ſanguis ſine pituita, aut flaua, vel atra bile fluens, tenuis ſubſtantię apparet. 2.ad Glau. Sunt tamen qui ſana corpora cum ſanguine, reliquos humores in venis re vera non habere, ſed poteſtate duntaxat, autumant.

Quibus

Quibus ratio refragari videtur.nã ſi omnes partes corporis ſani,ex ſanguine aluntur,vt vult Galenus, oportet ſanguinem reliquos humores re ipſa,& actu, in ſe continere, & non poteſtate duntaxat. His etiam reclamat, quòd ſanguis à ſano corpore per phlebotomiam detractus, mox in quatuor humores euidenter ſecretus, apparet.

Sanguis igitur bifariam dicitur:videlicet de immixto, & de maſſa humorum. lib. de plenit.& com.de nat.hum.Sanguis naturalis eſt humor non ſimplex, 2. de elem. ſed ex quatuor humoribus conſtans,8.de plac. Qui ex eo, quod de nutrientibus eſt temperatum,& boni ſucci, fit,à mediocri calore optimè concoctus, 2.nat.vir. & 1. primi. vt corpus nutriat,inibi. & calorem eius naturalem conſeruet lib. de phleb. Eſtq; humor calidus & humidus, 2.natur. virt. Imo non eſt calidus & humidus, ſed temperatus vti ver, com. primo de nat.hum. Conſiſtẽtia mediocris.2. ad Glau.Colore ruber, ſed rubens magis è venis, flauior multo ex arterijs erumpit. lib. de atra bi. Solus color ſanguinis proprius & inſeparabilis eſt: ſiquidem nulla corporis particula, nullusq;

humor rubet, quàm caro, & ſanguis.lib.de tumoribus præt.nat. Eſt præterea & ſapore dulcis,ac fœtore carens 1.theor.& 1.primi.

Non naturalis eſt qui à naturali differt ſubſtantia,temperie,colore, ſapore, odore. Ab iſtisq; quantum receditur, tantum ad vitioſum fit acceſſus. Verùm qui ab hac perfectione vel tãtillum excidit, notabiliq; vitio caret, in vitioſis non habetur. nam apud Galenum lib.de euchy.& caco.videre eſt, alimenta boni ſucci quædam dici, quæ ſanguinem faciãt craſſum, aut glutinoſum, aut ſubcrudum. Vitiatur autem ſanguinis optimi temperies, ob alienum ſibi commixtum. Quod vel in ipſo ortum eſt,vel aduẽtitium extra venit. Et multò magis ſi putreſcere incipiat. Quicquid enim λυπαρὸν, id eſt, florulentum & quaſi innatãs, in ſanguine eſt,fit Flaua bilis.Craſſum verò ac veluti fęx, quando immodicè calefactum exaruerit, atra. 2. de criſibus. An ſuccus malus nutrire queat? Gentilis negat adeò malum poſſe, vitioſum autem poſſe aſſerit. Quod videmus in pſora, lepra, & elephantiaſi affectis. Qui non modò viuunt,ſed & diu vitam protrahunt. Atqui tandiu viuimus, quandiu

quandiu nutrimur, vt ait Ariſtot. 2. anima.

Φλέγμα non modò calorem flameum ſignificat, & id quo vſtum in ſuccis eſt, ſed etiam de pituita prædicatur. Quæ duplex eſt. Naturalis eſt ſuccus frigidus, humidus, colore albus, ſapore dulcis, vel inſipidus, ſubſtãtia viſcoſus. Efficitur autem ex eo, quòd de alimentis eſt frigidum, humidum, glutinoſum, à calore, qui mediocri remiſſior eſt. Proinde plurimum eius generatur in ætatibus, regionibus, tẽporibusq́; frigidis & pluuioſis. Eiusq́; generatio in pituitoſis edulijs ſanguinem perpetuò antecedit. Eſt enim pituita veluti ex dimidio coctus ſanguis, quæ cum ſanguine meat, & temporis proceſſu coquitur, ſanguisq́; efficitur: propterea quòd pituitam expurget, natura nullum inſtrumentum condidit, vt ait Gal. 2. natur. vir. Eſtq́; vtilis pituita ad motum articulorum, quos humectat, & neceſſaria, vt vna cum ſanguine pituitoſas corporis particulas alat.

Non naturalis redditur vitio ſubſtantiæ, aut ſaporis. Ex ſubſtantiæ vitio eſt aquoſa, muccoſa, ſub qua cruda (vt Auicennæ placet) continetur, vitrea, gypſeaq́;. Ad aquo-

ſam pertinere videtur ſaliua, quæ nec admodum fluida eſt, neq; aquoſa. Iuxta illud 3. nat. virt. pituita oris necat ſcorpios. Hanc glandulæ ad linguæ radicem ſitæ generare dicuntur, quoniam ex illis exit. Pori inquit Gal. 11. de vſu p. per obliquas & inferiores partes glandularum, eructant pituitoſum humorem, liquidum, humectantem linguã, quæ deſiccata ægrè mobilis efficitur. Vnde in ſanis saliuę ſapor aquoſus, inſipidusq; eſſe ſolet. Contrà in ægrotantibus ſæpenumero acris, acidus, ſalſus, & nonnunquam dulcis depræhenditur. Itaq; ex pluſculo ieiuno, vt Idem ait 4. ſ. ſalſa ſaliua redditur, ex plurimo amara. Sic etiam corpus vniuerſum bilioſum habitum contrahit. Iure ergo Damaſcenus ęſtatis ieiunia bilioſis naturis eſſe inſalubria in aph. aſſeuerat. Muccoſa pituita eſt diſſimilaris & excrementitia, vaporoſo ſpiritu plena. Qualis eſt quæ quotidie vel ſcreando vel vomendo, vel emungendo educitur. Aliâs tamen mucum excrementum cerebri eſſe pituitam Galenus denegat, vt 2. nat. virt. Ex humore & muccoſo oriuntur ganglia, & nerui nutriũtur, ſed talis ex fine videtur naturalis, eſtq; glutinoſus

& alb

& albus, qui colligitur in partibus exanguibus. Ex muccoſa oritur vitrea, ſi illa frigidioribus locis incluſa vi caloris craſſior reddatur. Haud diſpariliter ex vitrea, gypſea efficitur. Ex qua in pulmonibus calculi, grandines, calli, & in articulis tophi generātur. Inſuper inter pituitę ſpecies quamuis crudus humor ponatur, à pituita tamen differt, quoniam minus humiditatis habet. Pituita eſt craſſior, minusq́; flatulentus: nec lentorem habet ceu pituita. Eſtq́; craſſus puri ſpiſſo ſimiliter. Vel qualis eſt humor, qui in vrinis ſubſidet, elixis fabis ſimilis.

Ex ſaporis vitio, pituitæ tres ſunt differentiæ, dulcis, acida, ſalſa. Dulcis per ſanguinis mixtionem fit. Acida naſcitur ex miſcella atrę bilis, aut per ebullitionem vt Auicennæ placet. Vel vt Galenus docet, 3. aph. com. 12. & 2. nat. vir. dulcis à pauca frigiditate efficitur. Acida à forti. Eoq́; vitrea forſan acidæ qualitatis particeps eſt. Salſa efficitur ob naturalis aut dulcis pituitæ putrefactionem 2. natur. vir. 2. de dra. fe. 3. apho. com. 12. Vel propter ſalſæ ſeroſæ humiditatis permixtionem cum pituita. Ideoq́; à caliditate fieri dicitur, ſiue putreſcente, ſiue

adurēte. Naſcitur præterea tertia ſalſi phlegmatis ſpecies ex inſipidæ pituitæ cū amara bile permixtione, vt autumat Montagnana. Hinc fit quòd phlegma ſalſum quādoq; calidum, quādoq; frigidum iudicatur. Acutum vocatur ab Hippocrate lib. de flatibus. Calidum à Galeno 1. ſ. & 3. aph. com. 12. Pituitæ putrefactio in humorē bilioſum conuertitur 7. aph. com. 42. ſeroſis enim partibus ac putredine calorem habet. E diuerſo effertur frigidum 2. nat. vir. & 4. r. a. com. 14. ab aqueis ſcilicet partibus, dum propriam ſeruat naturam. Qua de refusè diſſeruit Manard. 18. epiſtol.

Cholera ſimpliciter de amara inauditur. Item de flaua, crocea, & pallida: flaua enim nonnunquàm Galeno pallida nominatur 1. epi. com. 1. & ſubinde aliâs. Porrò bilis quæ ſecundum naturam eſt, mediocritatem quandam tum ſubſtantiæ tum caloris obtinet. Eſt enim ſanguinis excrementum veluti flos, calidus & ſiccus, colore flauus vel ruber, ſapore amarus, qui à calore moderato maiori efficitur, à nutrientibus calidis, tenuibus, acribus, dulcibus, vnctuoſis. Bilis generatio à pingui 6. epi. Aqua bilem

parit,

parit. 3. r.a. id eſt,in ventriculo bilioſo corrumpitur & in picrocholis, & his, quibus præter naturam tumefacta ſunt viſcera, plus iuſto in hypocundrijs morata bileſcit, vt explicat Gal.com.40.& Tral.lib.6. Alioqui quum ipſa ſimplex ſit, & nutrire non valeat,in bilem degenerare non poteſt. Etſi verò nulla bilis in ſanguinis ſubſtantiã reddire valeat, ſaltem per iteratam concoctionem. Naturalis tamen cum ſanguine permeat, & propter neceſſitatem & propter vſum. Primum quidem vt affines naturæ ſuę particulas alat: vtilitatis verò gratia, vt ſanguinem attenuet, eumq; per meatus penetrare faciat. Eſt etiam altera bilis excrementitia, quam cyſtis fellis excipit, vt ſe nutriat, tum vt ſangui nem ab eo excremento liberet: quæ in inteſtina deinde illabens ad excrementorum deiectionem ſtimulat, & lentam illis hærentem pituitam detergit ac exturbat. Locus Hippocratis enu datus.

Verùm bilis à naturæ modo per ſe ipſam ex alteratione deficit, vel ex aduentitio humore ei admixto. Prior pura vocatur. In febribus admodum acutis inquit Gal.com.2. lib.de articul. nihil mirũ ſi pura bilis in cor-

pore producitur. ſiquidem adeps & caro tenera ſub huiuſmodi febribus tabeſcit, & ſanguis aduritur. Rurſus oleum ait. 2. ſ. omnes lædit, quæ à pura bile fiunt fluxiones : Sub pura igitur vitellina Galeni continetur, quoniam ſola caloris non naturalis acrimonia digeritur, & quaſi torretur, ac procreatur, vt patet 2. natu. vir. & 3. collec. Auer. Impura Auicēnæ altera eſt nota, altera minus nota. Notamq; diſtribuit in citrinam, cui pituita tenuis, & in vitellinam, cui pituita craſſa commixta eſt. Minus verò notæ melancholicus humor adiungitur. Mihi etiam videtur quòd pallida bilis & citrina non adeò differunt, fit enim pallida teſte Gal. 10. ſ. & lib. de atra bile, ſeroſo excremento flauæ bili commixto. Ex quo pallida minus calida, minusq; craſſa ſit quàm flaua, par eſt. Ob id etiam quòd ſyncerus humor craſſior redditur 2. progn. com. 38. Itaque cholera minus nota ex bilis naturalis vſtione ad vitellinam Galeni referri poteſt, hæc enim efficitur quum impenſius flaua digeſta fuerit 2. nat. vir. & lib. de atra b. Quinimo flaua pluſculum excalfacta fit craſſior. Craſsitudinis enim cauſæ in ſuccis duæ ſunt contrariæ.

trariæ. In bilioſis quidem calidum euaporans, in pituitoſis verò frigidum adſtringens, 2. prog.cõ. præcitato. Ad vitellinam inſuper mellinam pertinere reor. Quæ autore Sorano in iſagogis, fit per aſſationem fellis rufi. At per vſtionem vitellinæ fit vna atræ bilis ſpecies 2.nat.vir.quam praſſinam dicit Auicenna,ex qua torrefacta æruginoſa naſcitur. Galenus quoque æruginoſam ex vitellina gigni ſubindicat.5. de lo. aff.Ex flaua(quo nomine & vitellinam intelligere videtur Galenus) fieri aſſerit æruginoſam, ceruleam, & aliam, quæ à calore iſatidis, ἰσατώδης nuncupatur 10. ſ. Quæ omnes in ventriculo gignuntur, ſunt pallida flaua & vitellina in vaſis ſuam habent generationem lib.de plenit.bilis porracea & æruginoſa in ore ſæpius ventriculi gigni conſpicitur,illacq; reijcitur,ſi recta deorſum illi non patet exitus, vt ſentit Actuarius 4. metho. med. Sanè ventriculus per ſuam temperiem naturalem, nullam generat bilem, vt ait Auer.3.collec. neque porracea in eo gignitur niſi ex eſculentorum vitio, & deprauata coctione.2.de temp.Quæ non minus quàm flaua & pallida (quæ ex iocinore in

ventrem defluunt li.de plenit.& 2.de tēp.) valentibus euomitur ſæpenumero, ac deijcitur. Nullaq́; alia bilis, vt aſſerit 3.de alim. niſi corpore admodum ægrotante excernitur. Porraceam Salicetus phlegma viride vocat, fortaſſis haud perperam, quum humori crudo, magis quàm bili, affinis eſſe videatur.

Melancholicus ſuccus differt ab atra bile. Ille enim naturalis ſuccus eſt, & excrementum ſanguinis veluti fæx, & limus, frigidus & ſiccus poteſtate, ſed actu calidus & humidus modicè, veluti vini fæx antequàm ſiccetur, & olei amurca, nullum inſignem ſaporem habens, nam & ſi acidus ſit, non tamen exquiſitam acidam qualitatem obtinet. lib. de atra bile de plenit. 3. de lo.aff. Hic partim cum ſanguine procedit vt membra nutriat, quorum natura frigida ſiccaq́; eſt, veluti oſſa. partim à liene pro alimonia ſibi commoda attrahitur. Cuius portiuncula, quæ in ventriculum illabitur, os eius congregare, conſtringere, & roborare nata eſt; & appetentiam ſua acida qualitate excitare. Fit autem huiuſmodi humor, vt Auicennæ placet, à calore moderato, id eſt, medio

dio inter excedentem, qui bilem, & imbecillum, qui pituitam generat. Alioqui ſolus ſanguis ex innato mediocri calore efficitur, & reliqui humores ex eodem immodico, vt tradit Gal.2.nat. vir & 2.de criſib. ſiquidem ſi omne terreſtre per vlteriorem fiat decoctionem, vt vult Ariſtotel. 2.met.melancholia naturalis à calore naſcetur ſatis immodico. Neque humidum aliquod fieri terreum poterit, niſi ſuperaſſetur, vt idem probat de mari. Igitur æqualis calor ſanguinem, imbecillis pituitam, excedens flauam bilem, maximè ſuperans atram gignit.

Itaque melancholia non naturalis pura immodico calore procreatur, quippe aduſtione, vel putredine reliquorum humorum. Quocirca tot habet differentias, ſecundum Auicennam, quot ſunt humores. Verùm Manardo lib.9.epiſtol.melancholia ex pituita nulla fit. Quod de naturali pituita verum fortaſſis eſſe queat, non item de phlegmate ſalſo. Quod ad calorem & ſiccitatem declinare, in præcedẽtibus dictum iam eſt. Nec ab hac ſententia Galenus abhorret. 1.ad Glau.inquiẽs, quartanas febres vagis ſuccedunt, quæ diuturnitate & corpo

ris habitum reſiccant,& phlegma adurunt. Neque enim de ſanguine dubium, nam ſi ſupra modum aſſetur, pars eius craſſior in atram conuertetur bilem.2.de dr.feb.

Itaque atra bilis nihil aliud eſt, quàm quod, ex præfatorum humorum vſtione, aut putredine, corrumpitur. Ex ſanguine minus mala oritur. Ex eius limo deterior, ſed deterrima ex bile. Quoniam bilis, teſte Galeno,lib. de atra bi.eo quòd in ſanguine ſubſidet,eſt malignior. Prima ſalſa eſt,& in colore quid ſplendidum habet,veluti bitumen & pix. Secunda exquiſitè acida eſt. Tertia verò amara, & quũ malignior euadit fit acris.Deinde atra bilis à melancholico ſucco diſtinguitur non ſolùm colore, & ſapore,verùm odore etiam & fermentatione, hoc quoque indicio, inquit Galen. 14. ther.2.nat.vir.& 3.de loc.aff. quod ne muſca quidem, nec aliquod animal eam guſtare dignetur. Vnde atra bilis ſemper in perniciem excernitur.Atrorum contrà euacuatio non raro ſalubriter,lib.de atra bile:haud enim acre & corrodens & acidum habent atræ deiectiones, neque in terram effuſæ buliunt,ſed veluti ſanguinis limus ſunt.Qui

tamen

tamen ſi tranſmutetur & putreſcat, tranſit in bilem exquiſitè atram, quod adnotauit Galenus 4.aph.com.21.Multiplicantur autem atra bilis, vt refert Auic.ob hepatis calorem, lienis imbecillitatem, frigus congelans, aſſiduam aſtrictionem, propter plures & diuturniores morbos, propter quos humor in cinerem redactus eſt.

Porrò ſpuria melancholia impuraq; ex aduentitij humoris affluxu conflatur, ex qua ſcirrhus triplex naſcitur, & quartanæ gignuntur ſpuriæ. Quæ ſuis exquiſitis ſunt breuiores.1. ad Glau.Itaque Galenus duplicem tantùm melancholici humoris facit generationem: Vnam ex ſanguine craſsiore, qui in venis eſt veluti fæx, & alteram ex flaua bile vehementer aſſata. Ex priore pendet exquiſita quartana, ex poſteriore ſpuria. Iure ergo hæc cenſetur breuior ſua exquiſita. Spuriæ curationem prætermiſiſſe videtur Galenus, quem alioquin meritò erroris inſimularet Trallianius, ſi in omni quartana victum calidum & ſiccum, veluti in exquiſita præſcriberet.

De hu

De humorum indicijs. CAP. VIII.

CERTISSIMA ducuntur ab eſſentiæ ratione, in qua cùm ſubſtantia humoris tum qualitas cõprehenditur, definitio enim cũ definito conuertitur. Sanguis vndecunque exeat ſubito concreſcit in grumum. Idq́; nõ ſolùm extra corpus, ſed intra illud etiam, in quouis ipſius loco præter naturam contentus. lib. de pleni. Reliqui humores non concreſcunt, ſicut nec ipſe ſanguis ſi eius fibræ detrahantur. 2. de elem. A colore etiam deliteſcentium in corpore ſuccorum cognitio deſumenda, nam color in cute ſimilis effloreſcit ſubiectis humorib. niſi intro receſſerint per metum frigoris, aut in cutem violentius irruant. 1. aph. com. 2. Quemadmodum ſe habet nutrimentum, ita & exteriora. 6. epi. lingua humorum indicat ſerum inibi. Color plumbeus aut liuidus aut mixtus ex albo & liuido, crudum dominari ſuccum ſignificat. 4. de t. ſ. Sed hîc ſciendum, quòd colores humorum naturales ab ambiente permutantur, & à putrediue. Quippe in morbo putrido humorum colores exprimere

primere nequeas. Et in pituitoſis nebuloſa pituita, in bilioſis nebuloſa bilis dominatur quum aër nubilus eſt. com. de nat. hum. & 1. epi. com. 1. Guſtus quoque redundantiæ ſignum eſt, dulcis ſanguinis, amarus bilis flauæ, acidus atræ, ſalſus pituitæ. 4. r. a. cō. 14. Sed ſapor & odor de laborantium aut miniſtrorum guſtu & odoratu Medico innoteſcant, nam huiuſmodi ſpurcitias olfacere, & deguſtare nullus vir honeſtus ſuſtineret, ac multo minus honoratus Medicus. Eſt etiam vbi Galenus pręcipit Aſinæ fimum odorari, corpus fricare, detergere, mundare, ac præparare. Quæ ſunt propriū ſolius Agaſonis munus.

Ex temperatura. Molles, candidi & obeſi, humorem melancholicum non habent. Macri, nigri, & hirſuti, & quibus latæ ſunt venæ, aptiis. ſunt, vt huiuſmodi in ipſis hūmor cumuletur. Fitq; interdum vt rufo colore homines affatim in melancholicam temperiem decidant. Atque poſt hos flaui. Idq; maximè, quando & vigilijs & multis laboribus, & ſolicitudine, & tenui victu fuerint educati, vt ſcribit Galenus 3. de loc. aff.

Ab ætate. Quatuor humores vt tradit

Sora

Soranus, per quatuor dominantur ætates: Phlegma cum parte ſanguinis in pueris dominatur, vſque in annum decimumquartum. Exinde cholera rubea dominatur cum parte ſanguinis in trigeſimumquintum, vel quadrageſimumquartum annum. Deinde ab hoc anno maxima pars ſanguinis dominatur cum cholera nigra. Sed Hippocrati ætas, quæ maximè atra bile detinetur, eſt à vigeſimo quinto anno, vſque ad quadrageſimum quintum. lib. de nat. hum. Addit Soranus quòd ſanguis dominatur circa cor: Cholera rubea in iecore: Nigra in ſplene: Phlegma partim in capite, partim iu ſtomacho. Item quòd humores qui habent virtutem calidam dominantur in ſuperiore corporis parte: Qui verò frigidam in inferiori. Quod affirmat Gal. 1. epi. cō. 1. Et Ariſtoteles 2. de par. animal. his verbis, ſanguis qui parte continetur ſuperiori, calidior, ſyncerior, tenuior. Qui verò in inferiori, frigidior, craſſior, turbulentior. Idemq; de dextra reſpectu ſiniſtrę cenſendum.

Ab anni tempore, in vere creſcit ſanguis, in æſtate cholera rubea, in autumno nigra, in hyeme pituita, teſtibus Hippocr. & Galeno

leno,lib.de nat.hum.& 1.epi.com.1. Itaq; ſi diei & noctis ſpatium quatuor anni tempora imitantur,vt meminit Aphrodiſeus 2. probl. ſanguis dominatur ab hora nona, vſque in diei tertiam. Cholera rubea à diei tertia, vſq; in nonam diei. Cholera nigra à nona diei, vſq; in tertiam noctis. Phlegma à noctis tertia vſq; ad noctis nonam, quòd non omiſit Soranus, huius rationem dominatus vtcunque explanant celebres illi Gordonius, Sauonorola, Valeſcus. Certè natura vt inquit Galenus lib.de atra bi.ſanguinem ſemper expurgare conatur.

Ex cibo & potu, ſiue ex ſuccorum materia, ſolet Galenus redundantis ſucci notas excerpere, vt in dignoſcendis plethora & cacochymia, lib.de plenit.ſanguine melancholico.3.de lo.aff.iſchiade 10. τῶν τόπ.

Ex motu & quiete. Qui in otio degunt pituitoſum aceruare ſuccum ſolent. Quos multus labor exercet, bilioſum aut melancholicum, illum æſtate, hunc autumno gignunt. Quin etiam an diuturni labores fuerint inſpiciendum eſt. Quanto enim fuerint longiores, tantùm ſunt ad atram bilem generandum magis procliues. Præterea qui

cũ multo ſudore peraguntur,hi craſsius excrementũ faciunt: qui ſine ſudore obeuntur,magis tenue. veluti qui hyeme,& frigido aëris ſtatu ſuſcipiuntur 4.de t.ſ.

A ſomno,vigilia,inſomnijs, frigidi ſucci κῦμα & longiores ſomnos inducunt. Calidi & mordáces vigilias. Etſi quando dormitur varijs imaginibus inquietos,& turbatos ſomnos efficiunt, ſic vt ſtatim excitent 4. de ca. ſyd. & de t.ſ. Si incendium quis per ſomnum videat, eum flaua infeſtari bile ſignificatur:ſi fumum aut caliginem,aut profundas tenebras, atra bile grauatur, ſic ſi imbres aut niuem, aut glaciem, aut grandinem, phlegmatis humidi plenus eſt. Et qui in ſomnis viderat crus ſibi alterum factum lapideum,paralyticus factus eſt. Qui in ſiſterna ſanguinis plena ſtare ſibi viſus eſt, ſanguine inquit Galenus abundabat, vacuationeq; indigebat. Idem ſi quis Gallorum ſe criſtas habere, aut ruſa quædam ſanguinem exuperare declarat. Eiuſmodi plura veterum literis prodita ſunt, maximè Hippocratis & Galeni libr. de præſagijs ex inſom.& 1.epi.com.3. Itaq; Ariſtoteles libr. de s. & v.fidi, inquit, Medici, & qui paulò

peritio

peritiores habentur Ægrotantium ſomnia diligenter exquirunt: ſunt enim paſſionum animæ & corporis indicia. Mirabilesq́; ex inſomnijs prædictiones Alexander ab Alexandro narrat. Sed de reliquis inſomniorum indicijs plus quàm conueniat, atque otioſa, vana'que plurima literis mandauit Artemidorus.

Ex animi affectibus. Sanguis facit moderatos, bilis rubea iracundos, acutos, ingenioſos, & leues. Phlegma vigilantes, & intra ſe cogitantes. Cholera nigra ſubdolos, auaros, perfidos, triſtes, ſomniculoſos, inuidos & timidos, vt autor eſt Soranus. veriſimilius tamen eſt bilem vigilantes, & phlegma ſomniculoſos efficere. Animi dexteritas & prudentia, vt Galenus exiſtimat, à bilioſo humore proficiſcitur. Integritatis (& non ſtupiditatis, vt legit Interpres), prudentiæ, & tranquilitatis erit autor humor melancholicus, ſanguis ſimplicitatis & ſtupiditatis, pituita ad morum cultum nihil facit. com. de natu. hum. Picrocholis ad quamuis operationem timiditas euenit 2. r.a.com.29. Nihil præ ſanguine ad prudentiam magis confert, ſi creditur Hippocrati

Locus Sorani reſtitutus.

Locus Galeni emendatus.

lib.de flatibus.cui aſtipulatur Ariſtoteles 2. & 4.de partibus animal.Ex timore & mœſtitia atra bilis indicatur 6 aph.23. Ad ſummam, vt animi mores temperaturam ſequuntur, ſic temperatura elementa & humores inſequitur.

Sunt præter hæc quædam in ſingulis humoribus diotropiæ ſiue proprietates, nam vnicuiq; humori ineſt periodus propria p.4. Item vnuſquiſq; humor ex conſpectu coloris ſibi ſimilis exterius mouetur, ex diſſimilis aſpectu interius refugit. Quod adnotauit Moſes 9. aph.Itaq; Auic.1.primi cogitationes inquit & curæ humores commouēt, vt ſi quis res rubicundas inſpexerit, ſanguis illi commouebitur. Quamobrem à talium viſione arcemus,eos qui laborāt hęmorrhagia & hæmoptyſi,& econtrà rubeum ſplendorem, aut pannum coccineum intueri iubemus eos, in quibus exanthemata efloreſcere incipiunt 1. 4. In ſolo phlegmate reperitur viſcoſitas, inibi. Ab atra bile ſola fit in terra feruor & fermentatio. 2. natur.vir. & 14.th.Mirum quòd deterrima ſit ſanguinis & ſpermatis corruptio, quum ſanguis naturæ ſuccus ſit familiariſſimus,nec paruā

inueſti

inueſtigationem requirit, vt ait Galenus lib. de euchy. & caco. θρόμβος in ventre & inteſtinis perforationem molitur. Imo ſi in ventrem vel inteſtinum, vel in vulnus fluxerit, animi exolutionem inducit, 3. τῶν τόπ. Grumus innatus ex aneuriſmate ſphacelum gignit lib. de tum. præter nat. Apud Oribaſium 4. apho. com. 77. ſcriptum eſt, in arterijs etiam, & venis grummos fieri, quia calor ſanguinem conſtringens facit grummos. Alij negant id fieri poſſe, niſi ex abdita & rara morbi cauſa. Quoniam conſeruandi ſanguinis ne concreſcat, facultas in venis eſt, ex caloris tepore, vt retur Ariſtoteles, vel potius ex ingenita quadam vi, & familiaritate, habet enim locus potentiam conſeruatricem locati 4. phyſ.

Nec prętereundũ quòd autoritate cuiuſdam Valeſcus in Philonio retulit, ſemen videlicet in horis ſanguini dicatis conceptum mutari in ſanguinis naturam, & perinde rubeo colore, qui inde naſcetur infans futurus eſt. Quodq; magis mirum, ſanguinem aiunt in vulneris autorem proſilire, ſi is intra horas plus minus ſeptem, ad cadauer accedat. Cauſam tamen tantæ rei haud ſatis

explicare videntur doctiſſimi illi & illuſtres Conciliator. 7. prob. Ficinus in conuiuio de amore Platonis. Cælius 2. lec. antiq. Campegius archiater, & Angeſtus.

De concoctionibus & earum excrementis.
CAPVT IX.

CONCOCTIO eſt alteratio ſecũdum qualitatem, per quam nutrimẽtum in propriã eius quòd nutritur qualitatẽ mutatur. Quumq; nutriens cibus alendo corpori aſſimilatur, concoctio facta eſt, & conſequenter nutritio fit. Hanc præcedit appoſitio, dum cibus in roris ſpeciem redactus à nutrito ſuſcipitur. Quam ſequitur adhæſio. Quæ eſt alimenti cum alito conglutinatio quædam, qua in vnum coaleſcunt. Verùm concoctio triplex. Prima in ventriculo, ſecunda in iecore & venis, tertia in particulis, quæ nutriuntur perficitur, libr. de euch. & cac. Primæ autem vtilis humor chylus appellatur, à quo excrementum ſeparatur, quòd per inteſtina expellitur. At ſanguis alterius concoctionis vtilis humor eſt, non ſimplex quidẽ, ſed ex quatuor humoribus conſtans: nam

nam ſi ſanguis immixtus particulas ſolus nutriret, omnes eſſent inter ſe ſimiles, & temperamento & ſubſtantia. Itaq; à chylo, inquit Auic. & ab omni concoctione humiditatis ſecernitur aliquid ab ea, quod eſt veluti ſpuma. Aliud vt fæx, aliud nonnunquam quod ad vſtionem eſt decliue, ſi concoctio excellens fuerit, & quandoq; quod ferè crudum eſt, ſi imbecillis fuerit concoctio. Itaq; ſpuma eſt flaua bilis, fæx ater ſuccus, & hæ vtręq; ſunt naturales. Peruſti verò pars tenuior, & craſſum ſunt atræ biles. Crudum pituita. At quod hinc eſt percolatum & concoctum eſt, ſanguis. Huius ſuperuacaneum eſt vrina, quæ ex iecore & venis profunditur in renes, & veſicam. Reliquũq; per lienem & fellis veſiculam expurgatur. Tertia quoq; concoctio ſuccos etiam vtiles habet ſecundarias humiditates. Quarum prima in exilibus partium venis continetur: Secunda eſt, quæ tanquam ros in partes influit, eiq; apponitur: Tertia affigitur: Quartæ partis ſubſtantiæ conglutinatur, eiq; aſſimilatur: cuius ſuperuacaneum per inſenſibilem halitum expellitur, necnon per ſudorem, & ſordium excremẽ-

tum. Quod partim per meatus ſenſu apparẽtes, vt ſunt naſus & aures, partim per exiguos cutis meatus excernitur. Et quandoq; per ea, quæ ſunt præter naturam, vt per abſceſſus diruptos. Aut per id, quod ſponte ex corporis addimẽto oritur, vt pili & vngues.

Iam verò ex commemoratis excremẽtis concoctiones indicantur. Quicquid enim ab aliquo tanquam à cauſa procedit, id illius eſſe ſignum conſtat, vt Galen. ait v. de lo. aff. Vnde concoctiones, quæ in ventriculo conficiuntur vomitus & deiectiones commonſtrat. Et eas, quæ in vaſis fiunt, vrinæ. Quæ in corpore vniuerſo, ſudores. Quo etiam modo & reliquæ concoctiones omnes ſe habent, quæ in vna quapiã parte, aut pluribus abſoluuntur. Quibus omnibus commune eſt, nunquam morbum ſolui poſſe, niſi prius in excrementis concoctionis ſigna cernantur, vt Gal. affirmat lib. de conſt. ar. med. Sed quamobrem alimentorum concoctiones, excrementorum ſequatur generatio? Cibo, inquit Galenus 1. de t. ſ. quicquid ſiccioris ſubſtantiæ effluxit, reſtituimus, potione quicquid humidioris. Ita verò & aereæ, igneæq; ſubſtantiæ modum

reſpiratu, arteriarumq́; pulſu tuemur. Quã-obrem neceſſe eſt ex his omnib. colligi excrementorum prouentum. Quum nimirum his quæ effluxerunt, prorſus ſimilia non ſint, ſed varias mutationes, alterationesq́; prius quàm aſsimilentur, poſtulent.

Serum quamuis nutrimenti vehiculum dicatur, excrementum nihilominus exiſtit. A quo purgatur ſanguis per renes, nam purum ab eo eſſe poſtulat animalis corpus. Nempe ſi redundet aſcitem inducit. Si verò vnam aliquam partem inuaſerit, in ea puſtulas gignit. At ex ſero in veſicam demiſſo, vrina naſcitur. Eoq́; humorum qui in venis deliteſcunt, ſola euidens nota eſt.

Sudor eandem materiam habet cum vrina. Vtriq; enim ex bibito humore conſtat generatio. Excalfacto ſimul in corpore, & bilioſæ nonnihil ſubſtantiæ adepto. Verùm ſudor plus eſt elaboratus, vt pote, qui ad cutem vſq; permeatis omnibus, quæ interſunt partibus, prouenit. Eſt etiam ſudor alius, qui eſt humor, interdum vtilis, aliquando inutilis, attenuatus & digeſtus in vaporem, à calore naturali vel alieno. Qui ad cutem perueniens, quàm frigidam eſſe con-

tingit, infrigidatur, mox craſſeſcit, & in aquam ſoluitur. Poſtremò cum ſpiritu mixtus prodit foras. Hic corpus purgat, ac refert expurgati excrementi qualitates, & ita ſuccorum, quæ in vniuerſo corpore redundant, eſt indicium. Proximum eſt quod 3. de nat. & 3. de part. animal. apud Ariſtotel. extat, videlicet ſanguinem interdum adeò ſereſcere & humeſcere, vt nonnulli ſudore cruento exundarint. De ſanguine quoque meminit Galenus lib. de vſu reſp. qui poris quandoq; dilatatis effluit, & inde ſudor cruentus.

Porrò ad ſeroſos humores accedunt tenues humiditates, quas Hippoc. ἰχῶρας appellat, 4. r. a. Ex quibus in venas attractis, vnum cauſi genus fit. Item anxietas & inquietatio, ſi os ventris infeſtent. Fit enim ἄλυσμον propter ventriculi vitium, aut virium imbecillitatem, 1. progn. com. 19. Sed ἀπορίαν vocat anxietatem, quę incidit propter inediam, quæ ventrem humoribus replet. Et propter cibum intempeſtiuè grauantem, 4. r. a. com. 44. Ex ſeroſis etiam ſuperfluitatibus apud Ætium arthritis naſcitur. Verùm ἴχωρ ſiue ſanies non tantum dicitur

citur de ſeroſa ac tenui humiditate ſanguinis, ſed de illa etiam, quæ reliquorum humorum eſt. Nam Diocles ad Antigonum regem epiſtola, meminit pituitæ & flauæ bilis ichorum, & Galenus 6. de t.ſ.& 7. de vſu par.de calida ſanie,quam caput ventris partibus tranſmittit. Deq́; ſero phlegmatis inutili.Sanguinis ſerum,inquit Plato in Timæo, mite eſt. Nigræ verò bilis,ſed acutæ, immite.Cui Galenus 6.epi.com.2.ſubſcribere videtur his verbis: Atræ bilis ſerum acerbiſſimum. Minus acerbum flauæ. Minus item quàm hoc pituitæ, ſed omnium mitiſſimus ſanguinis eius videlicet, qui ſuperat omnes in venis ſuccos.

Ex ſuccis inſuper in corpore naſcuntur flatus,fumus,fuligo,& pus.Flatus eſt vapor: nam auſtrino aëri ſimilis eſt flatuoſus ſpiritus, teſte Galeno 2. ad Glau. Vapor autem eſt humor extenuatus, 1.ſ.Extenuatur à calore,ſed imbecillo. Et excitatur ex humoribus ſemicrudis,ſiue ex pituitoſis cibis. Etenim vt abſolutum frigus vaporem haudquaquam excitat. Ita vehemens calor plus quàm pro vaporis generatione cibum aut humorem extenuat. Niſi is ſuapte natura

faci

facilè in flatum tranſeat. Si verò calor parum validus fuerit, vt hæc quodammodo diſſoluit, ita non omnino conficit. Deinde ſic flatus ſiue ſpiritus excitatur, vt 3. de ca. ſy. declarat Galenus. Non diſpariliter ſolem ſedare, ac commouere ſpiritus, docet Ariſtotel. 3. mete. Debiles quidem, & paruas exhalationes ſol exterminat ampliore calore. Contra modico ac temperato exhalationes excitat. Inde Plinius ſol, inquit & auget & comprimit flatus. Auget exoriens occidensq́;. Comprimit meridianus, æſtiuis temporib. Ideo diei & noctis medio plerunq; ſopiuntur. Quia videlicet aut nimio frigore aut æſtu ſoluuntur. Gignitur autem in animantibus flatuoſus ſpiritus, ex aëreâ ſubſtantia humido vapore coniuncta. Ex qua originem habent Priapiſmus, Tympanias, Inflatio, Ructus. Ventris dolores, ſoniq́; varij, veluti ſunt, acuti, tenues, ſtrepentes, bomboſi, murmurillum.

Fumus & fuligo in rebus externis eſt materiæ aduſtum recrementum, quod per ignẽ in ſublime fertur. Ex flamma pura fuligo, ex nõ pura fumus efficitur. Quod decidit cinis & fauilla vocatur. Ita in nobis ex materia

immo

immodicè aſſa fuligo, ex ſemiuſta fumus editur. Eoq́; in febribus putridis fumoſum excrementum facit acceſſionis initium. Fuliginoſum verò vigorem. Videtur ergo fumus ex vapore, & exhalationes conſtans halitus, ſiue mixtio quædam ex terreſtri, aqueáque ſubſtantia. Fuligo cõtra exhalatio eſt, ſiue vapor terreſtris: nam Galenus fuliginoſa ac fumida excrementa terreſtria dicit, 1. de dypſnœa. Ariſtoteli fumus eſt exhalatio, nec hunc à fuligine diſtinguere videtur. Attamen ex his ſatis liquet, quòd fumus in corpore, aliud eſt quàm ventoſitas, quod pauci queunt diſcernere, vt in ſuis aphor. habet Damaſcenus. Vapor etiam aliud in corpore quàm flatus eſt. Tametſi vterq; eadem res ſit, nempe vapor ſi quieſcat, & flatus ſi moueatur.

Locus Damaſceni illuſtratus.

Vacuantur autem fumoſæ vaporoſæq́; ſuperfluitates per ſuperiores meatus. Aquoſæ verò & limoſæ per decliues, etenim deorſum ex ſe ipſis repunt. Sed fuliginoſum excrementum expiratione, & contractione arteriarum expellit natura, quod verò eſt veluti cineritium, per inſignes quoſdam meatus educit, hoc in partibus inflamma-

tis

tis pus eſt, & in vaſis ſedimentum vrinæ. Puris ergo materia eſt ex humorib.& carne contuſa,ſaltem,ex materia peragitur,neque prorſum benigna, neque omnino aliena. Agens verò ingenitus calor, ſed non planè vincens. Qua ex re nonnihil fœtoris, pus etiam optimum habet. Quanquàm id fiat ſuperante natura, vt peſſimum natura euicta. Huc licet referre vlcerum excrementa, vt ſunt plures ſaniei ſpecies & ſordes. Contentaq; in abſceſſibus ſeuo,melli & pulticulæ ſimilia.

De partium ſeu locorum eſſentia ac differentijs. CAP. X.

MEMBRA ſunt animatæ noſtri corporis partes, ex principali humorum miſtura ortæ. Quæ enim totum implent,& integrant,partes dicuntur,1.ther.Harum variæ ſunt differentiæ: nam ſimilares opponuntur diſſimilaribus, ſicuti informes inſtrumẽtarijs, ſimplices compoſitis,ſpermaticæ carniformib. ſolidæ mollibus. Similaris vocatur incompoſita,quæ in ſimiles ſibi partes non in aliã ſpeciem diuiditur. Diſſimilaris verò compoſita

poſita, quæ apta eſt ſecari in partes diſſimilares, vt finit Ariſtoteles, 1. de nat. animal. Similares Galeno fiunt ex ſanguine, vel ſemine, vel ex quatuor humorib. cõ. de nat. hum. Ex ſanguine tantùm duo, caro & adeps, prima primi. Ex ſemine verò ſolidæ partes, quæ ſolæ propriæ partes exiſtunt, vt ſentit Gal. com. de v. r. priuatorum. Itaque ſimilarium appellatio partibus quibuſdam compoſitis (cuti ſcilicet, venæ, arteriæ, neruo) à Galeno tribuitur, quòd inter inſtrumenta ſint admodum ſimplicia, vt ſcitè interpretatur Syluius. Interdum etiam ſimilares abuſiuè inſtrumẽti appellatione dignatur, vt quando humorem cryſtallinum viſus eſſe inſtrumentum proprium ſcribit, 2. ther. Ex quo pateſcit, quòd ſecundum Galenum, non omnis inſtrumentaria pars diſſimilaris eſt. Sunt autem ſimilares in vniuerſum, os, cartilago, nerui, chordæ, ligamenta, arteriæ, venæ, membranæ, caro.

Oſſa inter animantis partes duriſsima, aridiſsima, & terreſtria maximè ſunt, quæ ceu fundamenta totam molem corporis ſuſtinent, & ſtabiliunt. Generanturq́; ex craſſiori, magiſq́; terrea, ac minus tractili geni-

turæ

turæ viſcoſitate. Ideoq́; ſunt frigida & ſicca. Horum quædam ſunt grandia medulloſa. quædam verò parua & ſolida. Natura enim muſculorum imbecillitatem & robur intuita, ad ipſorum proportionem oſsis pondera effecit, vt ait Gal. 11. de vſu par. Proinde omnibus imbecillioribus animantib. oſſa ſunt laxiora, & concaua magis. Fortioribus contrà, denſiora, magisq́; compacta. Hinc leo oſſa medullæ expertia habere veriſimile eſt, vt Ariſtoteles aſſerit, 3. de nat. animal. Quod ſi verum eſt, medulla oſsibus haud proprium alimentum erit. Quomodo verò medulla & ſanguine melancholico nutriantur oſſa, clare explicant prima primi doctores gloſſamatarij, vt Gentilis, Forliuius, Beutius, Apartib.

De oſsibus prætereà alia iunguntur per articulum, alia per ſymphyſin, quarum ſubdiuiſiones in Galeni Oſteologia explicatæ ſunt. Os præciſum nunquàm recreſcit, 3. de nat. animal. Nec fractum niſi molle ſit, & puerile, non coaleſcit, quia non idem generatur, quod ſpermaticum ſit, ſed in eius locum ſimile quidpiam ſubſtitui poteſt, vt callus, quo partes fractæ circunligantur.

gantur. Concretis quoſdam oſſibus, ac ſine medullis viuere narrat Plinius 7. natur. hiſt. eosq́; corneos vocari. Eorumq́; ſignum eſſe, nec ſitim ſentire, nec ſudorem emittere.

Natura eadem oſſis & cartilaginis eſt. Quamobrem neutrum præciſum renaſcere poteſt 2. de part. animal. Sunt igitur cartilagines veluti oſſa humida & tenerrima, vt ait Aliabb. quæ flecti poſſunt. Quarum aliæ oſſium extremis hærent, vt in articulis, vertebris, coſtis nothis, naſo, & ſterno. Alię non hęrent oſſi, vt in cilijs, auribus, faucibus, epiglottide, larynge, trachea arteria, & in cordis baſi. Et hæ ſupplent vicem oſſis. In his enim muſculi, quaſi vt in oſſe hærent, & fulciuntur. At priorum vſus eſt, ne mollia duris ſine medio nectantur. Vt compoſitio ſit rectè ordinata, vt in ſcapulis, præcordijs, poſterioribus coſtis & enſiformi apparet. Adde etiam ne artus confricatione quadam in motibus, ex oſſium duriciæ lædantur. Quodq́; partes à violentia foris occurſantium mediocriter tuentur.

Neruorum ſunt tria genera. Ex cerebro dorſaliq́; medulla voluntarij. Ex oſſibus ligamentales. Ex muſculis tendones. Differũt

ergo origine. Item quòd omnis neruus ſenſilis eſt, & teres & molliuſculus, vt ait Nemeſius. Cerebrum mollium neruorum, qui ad ſenſus conſtructi ſunt, principium eſt. Cerebellum verò, & medulla durorum, qui ad motum magis idonei ſunt. Corpora ſunt exanguia: ideoq́; frigida, cuius ſubſtantia eſt veluti denſatum ac duriuſculum factum cerebrum 1. de motu muſc. Ex refrigerata, concretaq́; materia, condita. Ex quò ab his, quæ ſimul calfaciunt & humectant reſoluitur ac putreſcit 6. ther. Nutriuntur lento humore, atq; muccoſo, ex quo oriuntur etiam ganglia com. 2. lib. de artic. Ab eodemq́; replentur, qui eſt frigidus & glutinoſus. Vnde illos conuelli accidit 2. aph. com. 24.

Differẽtiæ. Quidam albi, lenes, molleſq́; flexu ſunt. Alij duri. 1. primi. Nonnulli ſolidi. Quidam meatum habent manifeſtum vel occultum. 7. de vſu par. Solus opticus manifeſtum habet foramen. 1. de ca. ſy. & 16. de vſu par. Contra pudendi neruus cauus dicitur 15. eiuſdem. Rurſus ſi neruus ſit via facultatis motricis à cerebro deſcendentis, vt diffinitur 1. de motu muſcul. ſatis eſt ſigni quòd, omnis neruus cauus eſt. Sanè fora-

minibus

minibus nerui præditi ſint an minime, Galenus hærere videtur, nam 6.epi.com.1.definiens neruum, nullam in ſe cauitatem habere dicit. Et 1. de ca. ſy. per ſolidorum inquit corpora vis animalis à cerebro permeat, vti ſolis radij per aquam aërem'ue tranſeunt. Rurſus ait 1.de lo.aff.animalibus inſtrumentis actionis vis à principio veluti lumen à ſole defluit. Si qui ergo non caui, & ſolidi ſint nerui, accipiunt vim à ſpiritu, vt Auicenna loquitur, per irradiationem.

Itaq; neruus non ſolùm ſenſorijs inſtrumẽtis ſenſum impertit, & motorijs dat motum, ſed partibus etiam omnibus diſtribuitur, vt quæ ſibi dolorem adferrent dignoſcerent v. de vſu par. Ad diſcernenda quæ dolorem adferunt nutritorijs organis neruos largita eſt natura, interibi. Quocirca dolor diſpoſitio naturalis dicitur Truſiano 2.ar.p.& Augeſto 2. de cauſ. & merito, quia ſalutis gratia particulis natura ſenſum indidit, haud diſſimili ferè ratione tuſsim naturale accidens Galus vocat 2.de ca.ſy.

A cerebro ſeptem neruorum ſyzygię ſeu coniugationes procedunt. A ſpinali medulla triginta, hæc enim neruos ſexaginta

per ſingulorum ſpondylorum foramina ſingulos mittit, vt pluribus in locis teſtatur Galenus.

Τένοντες, id eſt, tendones ſiue chordę ſunt corpora neruoſa. Quę ex neruis & ligamẽtis in muſculum diſperſis, inuicem coëuntibus generantur. Ideo ſentiunt, & mouentur motu voluntario, ratione neruorum ex quibus conſtant. Colligant autem muſculos oſsibus, ob ligamenta, quæ in ſe recipiunt 1. de vſu par. Quumq́; ex fine muſculi oriatur multo maior neruo, qui deſcendit in muſculum, liquet non ex neruo tantùm ipſum conflatũ eſſe, ſed etiam aliquid momentaneum ex natura ligamentorum ſumpſiſſe. Multis quippe locis ſexcupla, multis etiam decupla craſsitudine neruum ſuperat. Et meritò tantus & talis eſt factus, vt qui nerui & ligamenti vſum exhibiturus erat. Alligat enim muſculum ſubiectis oſsibus in quorum capita munita cartilagine inſeritur, & hac ratione non differt à ligamento. Sentit autem atque mouetur, qua ratione nerui eſt particeps 1. de motu muſcul. Eſt primum motus inſtrumentum 12. de vſu par. Tanto durior eſt neruo, quanto ligamento

mento mollior 1.de motu muſc.

Sindeſmus ſiue ligamentum eſt corpus neruoſum ex oſſe ortum habens, in diuerſam naturam tranſiens,aut in os,aut in muſculum. Oſſibus autem colligat muſculos, ac circa hos gignit membranas 1. de motu muſc. Album exangue, & concauitatis expers quum ſit, neruus eſſe videtur. Verùm non eſt neruus ex cerebro,neq; ſpinali medulla,ſed ex oſſibus ad oſſa tranſit.Neruoq́; multo durius, ac penitus inſenſibile eſt, (niſi de illis ſit, quæ neruos acceperint aut quæ ex membranis ſentientibus oriuntur.) Nec mouere quicquam poteſt 1.de vſu par. Ligamenta quæcunq; rotunda ſunt,ea neruis ſunt conſimilia,duritie tamen diſsident, ſed in eo, quod alba ſunt, exanguia, cauitate carentia, & in fibras diuiduntur, ſimilitudo illis cum neruis & tendonibus conſtat 6.ther. Quod ad muſculum ſe extendit, vinculum ſiue ligamentum nominat Auic.1.primi.Quod verò extrema duorum oſsium alligat, copulam vocat. Horum autem vſus triplex. Oſſa enim connectunt, munimento ſunt corporibus ſubditis,ac deniq; indumenta his ipſis tendonibus extrin-

ſecus circundantur 1. de anat. admin. Adde quòd oſſa in ſuis articulationibus continent. Ad rectè etiam mouendum conferunt. Adeò ſunt dura vt in motibus vehementioribus non rumpantur. Et in tantum mollia, vt tractis oſsibus, facilè & obſecundent, & cedant 12. de vſu par.

Arteriæ & venæ primæ omnium ex ſemine oriuntur. Exangues ſunt tunicæ & natura frigidæ, ſed arteriarum duplex genus. Vnum earum quas aſperas vocãt. Alterum à ſiniſtro cordis ventriculo ex arteria aorta dicta, in vniuerſum corpus propagatum. Hæ autem ſunt veluti canales orti à corde vehentes ſpiritus vitales, cum aliquo ſanguinis riuo, ſed tenuiſsimo. Ne verò exhalarent ſpiritus, conſtant arteriæ duabus tunicis, quibus inſunt fibræ à neruis deductæ. Quocirca eas & venas ſenſu haud eſſe deſtitutas contra Galenum ratio & dolor, qui in phlebotomia & arteriotomia ſentitur, propalat. Porrò arteriæ occurrunt ramis venæ cauæ, cum quibus ſimul per corpus ita ſparguntur, vt ora venarum & arteriarum contigua ſint, per quæ venis impertiunt ſpiritum, qui calore vitali ſanguinem

Locus Gal. notatus.

exuſci

exuſcitat, percoquit, & conſeruat. Rurſus etiam arteriæ hauriunt aliquantulum ſanguinis ex venis. Quo vehitur, rigatur, & augetur ſpiritus. Itaq; arterię licet motus principium habeant à corde, ſeipſas tamen mouent, eadem qua cor facultate. Attrahunt aërem dum dilatantur. Expellunt vaporem fumoſum dum contrahuntur. Nec eo dilatantur, quia implentur, ſed implentur quia dilatantur. Iſtis nimirum moribus mediocritas caloris per totum corpus ſeruatur. Earumq́; opera vt minus putreſcant humores maximum vſum præſtat, earum enim vſus eſt, cuſtodire naturalem caliditatem, & nutrire animalem ſpiritum, teſte Galeno 1. de vſu par. In ſumma, Arteriæ, vt inquit Auic. ſuper cor euentationem agunt, vaporemq́; fumoſum ab eo diſcutiunt, & ſupra membra corporis ſpiritum diſtribuunt.

Venæ ex iocinore ortum habent, immobilesq́; ſunt. Ex vnica conſtant tunica, ſola arterioſa duabus. Illis ineſſe facultatem ſanguificam tradidit Galenus, ſanguinis inquiens generandi, ſimul & in omnes partes ferendi gratia, factæ ſunt venæ 1. de vſu par.

Membranæ ex neruis & ligamentis factæ ſunt, hoc eſt, ex villis, qui ſunt eorum tenuiſsimæ partes, ſed in alijs plus eſt naturæ nerueæ. In alijs plus naturæ ligamentalis. Alij enim alijs craſsiores ſunt. Omnes tamen membranæ cute ſunt ſicciores. Muniunt & alligant membra, & impertiunt ſenſum pleriſq;, vt hepati, cordi, pulmonibus, ſpleni, renibus, vt ſcribit Auic.

Cutis duplex eſt. Vna, quæ omnium partium commune eſt tegumentum. Altera membranoſa & tenuis, quæ ſingulis internarum eſt circundata 14. ther. Prior eſt veluti operculum quoddam & natiuũ animalis tegumentum. Et quum nullius actionis, ſed vſus duntaxat gratia ſit creata, omniumq́; partium extrema ſit, non ab re his, quæ functiones perficiunt, facta eſt imbecillior. Ob idq́; vniuerſi corporis ſuſcipit excrementa. Huiusq́; ſumma cuticula epidermis dicitur. Quæ quia non ſentit, & deperdita reſtauratur, membrum ſpermaticum eſſe non poteſt, ac multò minus carniforme. De qua Galenus 4. aph. com. 77. ſic meminit, cutis ſuperficies in pſora & lepra & lichenibus tenue quid abijcit. Quale

quod

quod ſerpentum ſenectus nominatur, & Alexãdrino leberis. Hæc etiam in venenatis qui ſanantur deperditur, vt notat Conc. 5. problem. Producitur autem cutis exterior ex quodam interioris cutis ſuperfluo alimento, vt idem autumat, dragm. 47. Certè nec planè exanguis, vt neruus, cutis eſt. Nec ſanguine abundans, vt caro, 1. de temp. Differentiæ ſunt, cutis humida, vt modo cõ creſcens caſeus: dura, non abſimilis caſeo iam coacto: ſpiſſa, vt in pueris: rara, vt in ſenibus, 2. de temp. nam cutis omnis in primo ſtatim ortu ſibi continua quum ſit, temporis ſpatio pertunditur. 1. ſ. Ergo non in pueris ob cutis raritatem ſucci facilè tranſpirant, vt putat Aetius lib. 10. ca. 9. Sed potius propter cutis mollitiem euenit, vt eorum ſubſtantia facillimè digeratur, vt innuit Galenus 9. ther & 4. r. a. com. 20. Promptè inquit puerorum ſubſtantia tum propter humiditatem, tum propter temperamenti caliditatem euaporatur. Idem etiam affirmat 2. de temp. Quod per omnem cutem ſemper digeritur aliquid à calido, quod ſecum etiam interni humoris nonnihil aufert. Vnde quibus cutis rara mollisq; eſt, hi

Locus Ætij notatus.

ab externis facilè tentantur. Quibus denſa & dura,ab internis, ſed cutis durior diſpoſitio,melior ea, quæ mollior & laxior. Vtiliſſimus tamen inter vtrunq; exceſſum medius modus.

Iam cutis temperies variatur ab ætate, aëre, & regione. Etenim puerorum humida, ſenum ſicca eſt. Gallis frigida & alba. Æthiopibus ſicca & nigra redditur,ex ambientis æſtu, & naturali calore foras acto. Homo tenuiſſimam ex omnibus animalibus cutem habet,10. problem.5. Propterea in regione temperata ex ſuo calore natiuo, non diſciticio ſubiectarum partium naturã, & humorum dominium indicat. Sed veriſimile nõ eſt,quod teſtatur Oribaſius,2.aph. cõ.49.hominis corium poros habere maiores quàm cætera,quum bruta ſint magis hiſpida. Illud autem crudele,quòd Scythæ,vt narrat Aubanus,coria humana pro amiculis induuntur. Et alij quidam ad vmbras tegumenti illis vtuntur. Proximum eſt, quòd Cambyſes ſupremũ iudicem ſed iniquum deglubire iuſſit, eiusq; corium in tribunali extendere ad memoriam cutis caluæ circundata, tanto reliqua totius cute eſt ſiccior,

Locus Oribaſij repræhenſus.

cior, quanto etiam durior: obtuſum etiam habet ſenſum, propter carentiam carnis, quæ in tactu medium eſt. Et Ariſtoteli ſentit cutis quilibet, præter eam quæ capitis eſt, 3. de nat. animal.

Cæterùm membrum ſpermaticum interna cutis eſt, deperdita enim reſtaurari non poteſt, 3. ar. p. Vulnerata non coit, vbicunq; per ſe, ac ſine carne eſt, vt in bucca, cilioq; palpebris & genis, & præputio, vt ait Ariſt. loco præcitato. An verò ſit membrum conſimile? vt ſentire videtur Aliab. præſertim quum ſit tactus inſtrumentum, vt ſcribit Zerbus. Galenus quoq; primo de temp. & de motu muſc. Cutem hominis omnium extremorum, calidi, frigidi, humidi, ſicciq; mediam eſſe dicit, maximeq; eam quæ in manu eſt. Cui ſubſcribens Auicen. Nulla cutis, inquit, eſt moderatior cute manus, & hac æqualior eſt cutis volæ, & hac temperatior quæ in medio volæ, & hac adhuc moderatior quę ſupra digitos, & hac adhuc temperatior quæ ſupra indicem, & hac moderatior quæ in eius extremitate exiſtit, & ideo eſt perſpicatioris ſenſus. Vnde ſunt qui ſubtilitatem animi (vt Plinius 11.

nat.

nat.hiſt.refert) conſtare non tenuitate ſanguinis putent, ſed cute, operimentisq́; corporum, & tunc magis aut minus bruta eſſe. Quibus aduerſatur, quòd Elephantes tergora impenetrabilia ſagittis habẽt. Quum tamen omnium quadrupedum ſubtilitas animi præcipua perhibeatur illis.

Carnis materia ſanguis bonus, opifex natura, ſed caro generatur ex ſubſtantia ſanguinis craſſi, & à calido & ſicco congelaſcit. Senum verò ſeu adeps ex aquea & pinguiori portione ſanguinis fit, & à frigido coagulatur. Ideo à calido diſſoluitur, pri ma primi. Carnis autem ſpecies tres ſunt, Cauliaco, Vna ſimplex & pura, quæ in gingiuis & penis glande habetur. Altera glandulοſa in mammillis, & teſtibus. Tertia eſt muſculorum. At Galenus 2. de temp. duas tantùm numerat ſpecies, vnam quæ propriè caro appellatur, quæ nunquam per ſe reperitur, ſed eſt perpetuò Muſculi pars. Altera cuiuſq; viſceris propria eſt ſubſtantia, cui ipſorum tota actio tribuitur. Rurſus 11. ther. Caro, ait, tantùm ea vocatur, quæ in muſculo eſt, ſed quæ in viſceribus, ceu iocinore, renibus, liene, & pulmone viſuntur,

ea pa

ea parenchimata, id eſt, affuſiones vocant. Quæ verò inteſtinis ventriculo, & vtero ſunt, ſine nomine relinquunt. Nec vſu caret Caro, nam viſcerum vaſa firmat, & ſpatia inter ſpermatica membra replet, villosq́; ipſos munit & roborat, ne hi facilè contundantur, aut rumpantur, & contra frigus & æſtum hæc omnia defendit, 12. de vſu par.

Ex ſimilarium ſubſtantia, magnitudine, numero, figura, ſitu, connexioneq́; idonea conflantur prima inſtrumenta. Ex primorum inſtrumentorum ſubſtantia, magnitudine, numero, figura, ſitu, connexione prodeunt ſecunda. Eadem ratione tertia, & quarta. Talis enim eſt corporis compoſitio. lib. de dr. morb. Idem reſolutio compoſitioni contraria demonſtrat. Vt ſi totum corpus diuidas in ſuas partes ſummas, has rurſus in ſibi proximas. itaque Ariſtoteles 2. de part. animal. Animalis compoſitionem triplicem eſſe ſcribit. Quarum vna ex elementis, vel potius ex earum virtutibus conſtat: Secunda ex ſimilaribus partib. Et tertia ex diſſimilarib.

Diſsimilaris pars organum appellatur. Eſt autem inſtrumentum, quod actionem

per

perfectam edere poteſt, 1. ther. Sed inſtru-
mentorum quædam ſunt prima. Quæ ex
ſimplicibus prima componuntur, vt muſcu
lus ex neruo, ligamento & carne ſimplici,
& hoc magis vena, & arteria. Vtrunq; vas
ex ſeminis ſubſtantia genitum villis tripli-
cibus contextum eſt, ſed vena vnica tuni-
cá, arteria duabus, 7. de anat. adm. Quæ-
dam ſecunda, vt digitus. Quædam tertia vt
pes totus. Quædam verò quarta, vt pes ma
gnus cum tibia. Quartis maximè conuenit
inſtrumenti difinitio. Ad cuius actionem
partes ſimilares ideo ſunt vtiles, quòd in-
ſtrumentum à partibus ſimilaribus vt ſanũ
ſit, obtinet. Atqui ſanitas eſt immediata
actionis cauſa. lib. de dr. m. Temperamen-
tum actionis cauſa effectrix eſt, 2. ther. Ve-
rùm quædã ſimilares actionem inſtrumen-
ti magis adiuuant, alię minus: nam in omni
inſtrumento pars eſt vna ſimilaris, quæ eſt
principaliſſimum actionis inſtrumentum.
Aliæ autem ſunt additæ, vt per eas melior
fiat actio: Aliæ ſine quibus non fieret actio:
Aliæ ad harum cuſtodiam à natura factæ
ſunt, vt in manuum vſu explanat Galen. 1.
& 6. de vſu par. Secundum quem triplex
eſt

eſt partium vtilitas. aut enim ad vitam pertinet, aut ad bene viuendum, aut ad generis conſeruationem. inſuper vtilitas, inquit, duplex, ad actionem, & ab actione. Nam partes ſimilares alicuius inſtrumenti vtiles ſunt ad perfectam organi actionem, inſtrumentum autem nobis vtile eſt, ſua actione perfecta, propter quam & inſtrumentum, & ipſius ſanitatem requirimus, 1. ther. Vſus verò omnibus partibus inſunt, vel nihil agentibus, 1. de lo. aff. Hinc perſpicuum fit quòd vnius rei actio, & vtilitas differunt. Quod Galenus, 2. ſ. & Auic. prima primi teſtantur. Actio etiam differt ab opere. 2. natur. vir. Eſt enim actio motus inſtrumentorum factiuus, vt ſanguificatio, 1. de lo. aff. At opus appellat Galenus quod iam factũ, atque completum per actionem eſt, veluti ſanguinem, carnem, neruum. At actio propria dicitur. Quæ à nulla alia parte vt inſtrumento fit, 2. de lo. aff.

Iam verò partium quatuor vniuerſæ ſunt differentiæ. Nonnulla enim ſunt principia, vt cerebrum, cor, hepar, teſticuli. Cerebrum rationalis animæ domicilium eſt, & vis animalis ſenſilis & motricis principium. Cor-

dis

dis duplex eſt facultas, vitalis & animoſa. Priore natiui fons eſt caloris, quem in vniuerſum corpus per arterias diffundit. Iecur eſt principium nutricis & naturalis animæ. Vnde eius facultas ſanguifica dicitur, eiusq́; actio ſanguinis generatio. Teſtes principia ſunt virtutis genituram aut ſperma procreantis. Quæ vis per vaſa ſeminis in totum corpus transfunditur. Eoq́; fit, vt in toto corpore ſemẽ generetur, ſed imperfectum. Eiuſmodi enim ſemen ſolidas partes, teſtesq́; nutrit. Et quod ex eo ſupereſt, ad vaſa ſeminis & teſtes peruenit, vbi elaboratur & perficitur, aptumq́; fit ad animantis generationem. Teſtes ſunt ipſo corde præſtantiores. Autore Galeno 1. de ſemi. nempe, qui præter hoc quòd caliditatem ac robur animalibus exhibent, amplius etiam generi conſeruando præſunt. Siquidem quibus teſtes execti ſunt, hi virili robore deſtituuntur, perfrigeranturq́;, ceu virium fomite, alteroq́; inſiti caloris principio priuati, ſic alteratur totum corpus per ipſos.

Ab his principibus reliqua membra ortum habent, & eiſdem ſubminiſtrãt, vt nerui & ſpinalis medulla cerebro. Cordi arteriæ, He

riæ, Hepati venæ, ſeminaria vaſa teſticulis. Aliqua ex ſeipſis gubernantur; ſicuti os, cartilago, ſyndeſinus, membrana, adenes, adeps, caro ſimplex. Reliqua quum vnà cum iſtis habeant ex ſe ipſis regimen, arterijs, neruis, venis inſuper eguerunt 2. ar. par. & ad Glau. Quod ſi membro vnicuiq; natura tribuit quatuor potentias naturales, vt aſſerit Galenus 2. nat. virt. Nullum eſſe poteſt membrum non recipiens. Cor tamen ſecundum Auic. non recipit aliunde emanantem vim, ſed dat. Dant etiam ſed recipiunt cerebrum & hepar. Et quemadmodum ars obſonatrix præparat ori, os ventriculo, & hic hepati: ita hepar vniuerſis particulis præparat. Verùm de præparantibus ad principes partes, cordi præparat pulmo, deferunt arteriæ. Cerebro præparat hepar, deferunt nerui, iocinori præparat ventriculus, deferunt venæ.

Prætereà membrorum quædam valida, alia imbecilla ſunt. Valida vt principes partes. Quas ſtatim ab initio rerum natura maiori robore dotauit, vt Galeno placuit lib. de ca. m. Sed cur dextra corporis pars ſiniſtra fortior ſit? An propter ſitum iocinoris

in dextro, & paruam cordis inclinationem in ſiniſtrum, nam quum maior eſt eius declinatio, ſiniſtra pars dextra fortior redditur, maximeq; ſi hepar paruum ſit, & debile, vt poſt Galenum exarauit Moſes 7. apho. Extat etiam ſuper hac re Macrobij 7. Satur. ſententia, ſed exploſa. Inſuper imbecillis partis ratio varia eſt: aut enim ilico quum formaretur animal, noxam ſubit, aut poſteà læſa fuit, aut etiam ſuapte natura talis eſſe debuit, vt cutis, quæ vniuerſi corporis ſuſcipit excrementa lib. de ca. mor. ceu axillæ cordis, partes poſt aures, cerebri. Inguina hepatis 1. primi. Sunt etiam præter emunctoria ſiue emiſſacula, partes quæ quia infirmas habent potentias, excipiendis excrementis idoneæ ſunt, veluti adenæ, pinguedo, pulmo, lien, dein cerebrum lib. de phlebot. Et rarò quiſquam, vt inquit Celſus, non aliquam partem corporis habet imbecillam. Et ſicut partium robur fortitudinem comitatur functionum, ſic imbecillitas nihil aliud eſt, quàm functionum particularum infirmitas. Quæ vel ob meatuum ametriam, vel ob intemperiem euenire poteſt lib. de dr. m. Hæc omnium morborum

cauſa

cauſa perhibetur com.3.lib.de articul. Quã-
obrem autem Imbecilles vbi inciderunt in
morbos facillimè reſtituantur? An quia fa-
cultates languidæ à prauis ſæpe occaſioni-
bus offenduntur, firmæ contra tantùm deij-
cientur à maximis. Proinde qui habitu ſunt
valente, diuq́; à morbis immunes fuerunt,
periclitantur, ſi eis præhendantur. At im-
becilli, quiq; aſſiduè obiecti ad omnes ſunt
cauſas, facillimè reſtituuntur, quia ſcilicet
horum nemo, quum à qualibet lædatur vel
minima, magnam cauſam expectet. Eiuſ-
modi eſt Galeni explicatio 2.de præſag. ex
pulſ. Demum de ſingularum partium no-
menclatura, poſitu, ſubſtantia, quantitate,
figura, numero, colligantia, actione, vtilita-
teq́; anatomiæ ſcientia fuſiſſimè docet. In
qua explananda admirabilis Galenus fuit.
Celebre etiam nomen inter neotericos
Mundinus habuit, Zerbus, Alexander be-
nedictus, Achilinus, & Carpus, ſed hos
poſt terga reliquerunt Andernacus, & in-
comparabilis Veſalius, doctiſsimusq́; Syl-
uius noſter.

De facultatum generibus. CAP. XI.

ANIMA vt rectè à poſteriori definiuit Ariſtoteles 2. de anima, eſt principium quo viuimus, ſentimus, mouemur, intelligimus. Viuimus autem quandiu nutrimur. Vita eſt enim vegetatricis potentiæ operatio. Vel vt Galeno, animæ ſiue virium & præcipuè vitalium actio. Potentia verò vis eſt animæ alicuius actionis cauſa effectrix. Vt potentia vegetandi, eſt vis qua anima nutrit, auget, minuit, generat. Potentia ſentiẽdi ſenſibilia cognoſcimus, quum in exteriore organo, aut interiore ſuam facit ſentiendi operationem. Potentia appetẽdi proſequimur, aut fugimus obiecta. Siue appetitus noſter fuerit naturalis inclinatio, ſiue ſequatur ſenſum per contactum, ſiue comitetur cogitationem, ſiue adfectus, Mouendi potentia de loco in locum transferimur.

Quoniã verò præfatæ facultates nõ poſſunt ſuas actiones exercere, niſi per organa, organicæ nuncupantur. Et ſola intelligendi potentia eſt in organica. Quia etſi ſenſus interiores ei ſeruiant, & obiecta offerant, attamen ſuam quandam habet actionem. Quod euidentiſſimum fit in mẽtis exceſſu,

quam

quam vocant ectaſim. Sunt autem intellectus actiones, ſimplex cognitio, compoſitio, diuiſio, ratiocinatio, iudicium, memoria. Sicq; fit intellectio, vt tradit Mel. Primùm mens accipit ſingularia obiecta à ſenſibus, hæc vocatur ſimplex appræhenſio. Deinde ex ſingularibus eruit vniuerſalia. Tertiò accedit collatio, qua diſcernit res quaſcunq;, id eſt, accidentia inter ſeſe, & à ſubſtantijs. Hæc collatio parit ratiocinationes. Quæ procul vagantur. Conſiderantur effectus, quærunt cauſas. Sed quia ſæpe in conferendo, diſſimilia iungimus. Item in ratiocinando contexímus non neceſſariò cohærentia. Ideo ſæpe hallucinamur. Et licet vna tantùm ſit intellectus ſubſtãtia, nomina tamen diuerſa habet. Nam vbi ſpecies rerum intelligibilium efformat, Agens dicitur: Etſi has intellectiones ſuſcipit, patiens nominatur. Vel, agens vocatur quum aliquid inuenit: Patiens quum ab alijs inuenta intelligit. Sunt etiam de Auerrhoicis, qui intellectum agentem eſſe Deum diſputãt. Auerrhoiſq; ipſe vnicum eſſe omnibus in hominibus intellectum, multis probare nititur 2. de anima com. v. hanc opi-

nionem ad Manichæos refert, & explodit Nemeſius. Intellectus prætereà ex obiecto & ſpeculatiui & practici nomen ſortitur. Omnes itaq; commemoratæ facultates ſub tribus, quæ animal gubernant, diuerſi inter ſe generis virtutibus, compræhenduntur, videlicet naturali, vitali, animali. Quæ etſi mutuò in ſingulis inſtrumentis inter ſe con fundantur, diſtincta tamen habent principia. Ex quibus vnum ope alterius non eget ad propiias functiones obeundas, ſed ſolùm ad vitam diutius ſeruandam.

Diſtinguuntur inſuper huiuſmodi facultates, non modò per organa, ſed etiam per actiones, ſicuti actiones per obiecta ſecluduntur. Rurſus potentiæ & actiones mutuò (inquit Auic.) ex ſe dignoſcuntur. Quoniam quælibet virtus eſt alicuius actionis principium. Et quælibet actio prouenit ex aliqua virtute.

De facultate naturali. CAP. XII.

FACVLTAS naturalis de vegetatiua & appetrice effertur, quæ iecur veluti pro fonte habet, & canales ab hoc in totum corpus ſparſos, ipſas venas. Diuiditur autem naturalis

ralis in tres præcipuas : Genitiuam, nutritiuam, creſcitiuam. Quibus alię quatuor ſubminiſtrant, videlicet attractrix, retentrix, concoctrix, & expultrix. Hæ quoq; non ſolùm egent partium naturalium temperamenti proprietate, ſed etiam miniſterio primarum qualitatum, ex quarum actione, & paſſione dicta proprietas ortum habet. Generatrix triplex eſt: Vna genitura gignit, Altera potentias, quę in ſemine ſunt, diſtinguit, easq́; tẽperat, prout vnicuiq; particulæ de temperatura debetur, Tertia eſt formatrix, quæ ſecundum Hippocratem & Galenum anima eſt vegetatrix, vel ars & ſapientia ſumma. Equidem fateor, inquit Galenus lib. de virt. form. me de cauſa, quæ format fœtum dubitare. Nam quum videam ſummam in hac formatione ſapientiam ac facultatem. Neq; illam quæ ſemini ineſt animam vegetabilem, fœtum formare exiſtimo. Quum nullius ſit ſapientiæ particeps, ſed omnino irrationalis. Neq; verò ab hac omnino poſſum diſcedere, propter magnã filiorum ad parentes ſimilitudinem. Verùm vtcunq; hæc ſit formatrix, auxiliatrices obtinet cùm cæteras generatrices potentias,

tum auctricem, atque nutritoriam.

Dubitare etiam contingit de genitiua. Num ea à naturali ſeiuncta ſit, propterea quia naturalis ſoli ſeruire in diuiduo videtur. Et generatrix ad ſpeciei conſeruationem data eſt.

Nutritiua naturaliũ maxima, cuius actio nutritio eſt. Nutritio verò ad id quod nutritur, eius quod nutrit, eſt aſſimilatio. Quã ſemper prȩcedit agglutinatio, ſicuti & hanc appoſitio, vt in ſuperioribus dictum eſt. Etenim poſtquam ſuccus, qui omnem animalis particulam nutriturus eſt, à vaſis excidit. In totam eam primum diſpergitur. Mox adiungitur. Dein agglutinatur, demumq́; aſsimilatur. Conſtat autem differre appoſitionem ab agglutinatione, & hanc ab aſsimilatione, quòd in anaſarcha humoris fit appoſitio, non tamen agglutinatio, & in leuce adhærentia cernitur. Aſsimilatio non item.

Auctricis proprium eſt in omnem partem, id eſt, ſecundum trinam dimenſionem proferre, quæ iam nata, genitáue ſunt, ſimilares ſcilicet, ſiue ſolidas corporis partes. Id quod ſolius naturæ proprium eſt

munus,

munus, nam quæ à nobis extenſa ſunt, ſicut vna dimenſione id patiuntur, ita minuuntur reliquis, vt de inflata ſuis veſica demonſtrat Galenus. Vbi verò perfectam magnitudinem animal eſt adeptum, toto poſtquàm æditum eſt tempore vſq; ad ætatis vigorem Auctrix dominatur. Cui adfuere auxilio concoctrix & nutritoria, ſine quarum miniſterio, nec planta nec animal augeſcerent. Auctio eſt enim iam formatarum animalis particularum augmentum, ampliatioq́; in longum, latum, & profundum. Sicut nutritio eiſdem partib. appoſitio quædam eſt, ſed ſine ampliatione.

Reliquarum quatuor (quæ ſunt totius corporis, ac vniuſcuiuſq; organi propriæ) facultatum, vna eſt idoneorum tractrix: Altera eorum omnium retentrix: Tertia alteratrix: Quarta alieni ſegregatrix. Attractrix autem gemina eſt, communis & propria. Prior vniuerſo corpore inſeruit, & fibris rectis munus ſuum obit. Poſterior eſt vnius tantùm particulæ, ad quam proprium nutrimentum trahitur. Non villis rectis, nec ſucceſſione continui ad id, quod euacuatur, ſed perinde ac à magnete lapide fer-

rum. Qui ſcilicet talis qualitatis trahendæ vim habet. Retentrix dum nutrimentum alteratur, ipſum detinet. Idq́; obliquis fibris, quandoq; his, qui per latitudinem tendunt, coadiuuatur.

Concoctrix eſt ſolidorum temperies ſiue calor innatus, non ſiccus & ſqualens, ſed humidus vaporoſus. Cuius veluti focus quidam & fons eſt hepar. Actioq́; huius concoctio dicitur, quæ gemina exiſtit, cibi videlicet & excrementorum. Prior elixationi ſimilis eſt. Et nutrituræ ſubſtantiæ ſecundum qualitatem mutatio. Ex qua in concoquentis ſubſtantiã productio illius fit quod concoquitur. Poſterior fit in excrementorum alteratione, quæ vel mutata, vel victa à Natura nutrire non poſſunt. Sed tamen cocta dicuntur, quòd concoctrix in illis cauſas ſuperauerit infeſtas. Quales ſunt tenuitas, craſsities, & lentor. Ad hæc, humores acres & non putres, in pus conuertit. Putres verò permutat in excrementum fumoſum, fuliginoſum, cinentium. Horumq́; omnium excretio concoctio etiam dici queat. Iuxta illud Galeni 3. progn. com. 23. Concoctio crudi craſsiq́; ſucci per febres, excretio

excretio quædam eſt illius, vt plurimum quidem per vrinas. Raro autem per aluum facta. Idem concoctionem poſſe fieri priuatim quapiam in parte, toto morbo crudo exiſtente aſſerit. Interdum enim contingit vt ſint parotides coctæ, & cauſa febris in venis non cocta. 1. epi. com. 2.

Expulſoria ſuo munere ſungitur villis tranſuerſis. Et tempore, quod ſuccedit poſt nutrimenti fruitionem. Cuius quod reliquum eſt, veluti oneroſum, vel quod eius eſt ſuperuacaneum reijcit, per conuenientes regiones, veluti per aluum & veſicam, & reliqua emiſſacula. Quòd ſi viæ illæ fuerint impeditæ, tunc à nobili membro ad ignobile, à forti ad imbecillum propulſat, ſiue à duro ad molle. Iſthæc quoque potentia criſes in morbis facit. Irritata vel excrementorum multitudine, vel acrimonia, vel vtroq; quantitatis qualitatisq; vitio. Et tunc immodicè mouet, præſertim vbi retentrix virtus grauatur. Et è contra impeditur expulſio anguſtia, & excrementi malitia, atque expultricis imbecillitate. Ex qua neceſſe eſt carnem humidiorem fieri. Impleriq; pluribus excrementis.

Sciendum præthereà quòd quatuor his facultatibus, primæ inſeruiunt qualitates. Nam frigiditas retentatrici & expulſoriæ vtilis quandoq; eſt. Sicut & has ambas cum attractoria iuuare ſiccitas poteſt. Omnibus etiam caliditas vtiliſsima. Quoniam horum omnium actiones per motus fiunt. Quod in attractrice, detentrice, & expulſoria liquidò patet. Id quoque in digeſtione ſeu concoctione euidentiſsimum eſt, hæc ſiquidem diſgregando partes rei craſſæ ac denſæ, & aggregando ſubſtantiam rei tenuis & raræ efficitur. Concoctioni, inquit Galenus 3.r.a.comm.29. calidum perpetuò opitulatur, frigidum contrà aduerſatur. At concoquenti potentiæ vt Auicennæ placet humiditas ex vſu eſt.

Præter cõmemoratas quatuor facultates Auerrhois quintam numerat, nempe diſcretiuam, quam ante exputricem collocat, 2.collec. Cuius munus eſſe vult, excrementum ab vtili diſcernere, ita vt diſcretio ſit eius propria actio, qua attractoriæ & expultrici auxiliatur. Auicenna quoque inter genitiuas diſcretiuam, quæ vires quæ in ſemine ſunt diſtinguit, connumerare videtur,

prima

prima primi. Accedit huc quod nulla ex quatuor præfatis medicamenti actionem dirigit,aut hanc & illam ipſius virtutem diſtinguit. Hoc etiam ad diſcretiuæ munus pertinere videtur, ad partes videlicet virtute medicamentorum varia egentes, hoc & illud tranſmittere. Vnde ſola implexorum morborum curatrix, diſcretiua dici poteſt. Quod ex Auicenna prima quarti & Meſneo lib.1.licet colligere. Eſt ergo quinta virtus, ab alijs quatuor diſtincta, diſcernendi facultas. Quod autem humorum varietatem diſcernat, & inter ſuccos delectum habeat,in iecore,liene,& renibus euidentior eſt,nam bilis flaua ab atra,& hæc à ſanguine,& ſanguis à ſero ſegregatur. Hac vi imbecilla rheumatici fiunt affectus, teſte Galen.2.ad Glau.& dyſenteria hepatica. 6. de lo.aff. Diætaq; refocillatrice vis diſcretiua reparatur, vt tradit Ætius.

De facultate Vitali. CAP. XIII.

VITALIS facultas ideo neceſſaria eſt, quia fieri non poteſt, vt reliquæ virtutes, naturalis ſcilicet & animalis,citra huius opem ſuas edant

edant actiones. Nam ablata vitali reliquarum actiones ceſſare, neceſſe eſt, quando citra vitam actio fieri nequit. Eſt enim vita animæ, & præcipuè vitalis actio. Sed ediuerſo contingit membrum per vitalem ſolam viuere, priuatum non modò ſenſu & motu, quod ſæpiuſculè in paralyticis videre eſt, ſed etiam ipſa nutritione. Quod poſtremum demonſtrare molitur Auicenna. Cui ſuffragatur, quòd pars atrophia laborans, vt viuat neceſſe eſt, ſi ſanitas & morbus viuentis paſſiones ſint, vt eſt Ariſtotelis ſententia lib. de ſ. & ſ. Itaque vitalis nuncupatur, quoniam innatum calorem tuetur. Calor verò vitam, hæc non modò vt ſtirpibus aut vita præditis, ſed etiam vt animalibus nobis eſt inſita. Et ſedem in corde habere dicitur, quia ex cordis ceſſatione omnes animæ, ſeu vitæ actiones aboleſcũt. Eſt enim cor natiui fons coloris, quem in vniuerſum corpus per arterias, tanquam per riuulos quoſdam diffundit. Ad cuius mediocritatem tuendam moderata refrigeratione opus eſt. Cordis quidem per reſpirationem (inſpirato ſcilicet aëre, & fumido excremento foras emiſſo), reliqui verò corporis

poris per arteriarum pulſum,quod vnicum eſt vitalis potentiæ opus, per quod contra-ctionibus fuliginoſum excrementum eijcitur.Ne caloris mediocritati obeſſe queat,& diſtentionibus allicit quod refrigeret.

Sed calor iſte innatus nihil aliud eſt quàm vitalis potentiæ organum , quod & vitalis ſpiritus appellatur. Hic ex inſpiratione & humorum vapore gignitur in corde & arterijs, in hisq́; conſiſtit, non tenuis exactè, ſed calidus & humidus. Iuxta illud Damaſceni in aphor.viuimus per calidum & humidum,nutrimur frigido & ſicco,id autem eſt, humorum parte magis craſſa,quæ collata ad ſpiritum frigida atque frigida exiſtit. Vel viuimus per callidum & humidum, quia concoctio fit à caliditate humida vaporoſa.2.r.a.com.22.Huic cibus colatus eſt frigidus , omnis enim actio à contrario fit, cum proportione maioris inæqualitatis, vt docet Ariſtoteles,2.de g.& cor.

Et quemadmodum , inquit Auicen. ex craſſitie humorum cum quadam temperatura gignitur ſubſtantia craſſa, quæ eſt mẽbrum, vel pars membri. Ita gignitur ex vaporoſo halitu humorum & eorum tenuita-

te cum

te cum quadam temperatura ſubſtantia tenuis, quæ eſt ſpiritus. Et ſicut hepar eſt principium illius primæ generationis, ita cor ſecundæ principium exiſtit. Et hic ſpiritus quum in ſua ſibi conuenienti temperie oritur, recipit hanc virtutem. Mox præparat omnia membra ad recipiendas alias vires naturales & animarias. Hinc planum fit, quòd cæterarum virium baſis, ſeu fundamentum, in quo radicant eſt vitalis.

In corde inſuper animoſa anima compræhenditur, ſiue iraſcibilis. Quæ eſt anima irrationalis, affectibusq́; obnoxia. Affectus autem ſunt motus animi rationi inobedientes. Orti interim ab iraſcibili, interim ab appetitoria. Qui rectè collocati in corde creduntur, propterea quia habent dilatationem & conſtrictionem, quæ ſpiritui vitali accidunt. Alioqui apprǣhẽſio obiecti vnde affectus naſcuntur, ab anima irrationali fieri non poteſt, ſed à vi cognoſcente, vt ſentire videtur Auerrhois 2. collec. Ob idq́; Galenus irã ratiocinatrici animæ coniungit, & non ſenſitiuæ. 5. de plac. Eſt enim animalis & non corporalis actus. Cuius cauſa immediata eſt illata iniuria. Formalis eius

locus

locus enim cerebro, quum omnes animales actiones in cerebro exerceantur 7. de plac. Sed materialis laus eſt in corde, ſanguinis videlicet ebullitio 1. de anima. Ex qua iraſcibilis efferueſcit. Et vnà cum ea feruent ſpiritus annexi. Et ſanguis arterialis, vt ait Maſſaria.

De facultate animali. CAP. XIIII.

ANIMALIS virtus in cerebro ſita eſt, autore Galeno. Duplexq́; eſt, ſentiens & mouens. Prior vis eſt organica, qua ſcilicet cognoſcimus, ſiue in exteriore organo ſuam faciat ſentiendi operationem, ſiue in interiore. Eoq́; gemina eſt, exterior videlicet & interior. Illa in quinque ſenſus diſtribuitur, viſum, auditum, odoratum, guſtum, tactum. (Qui eſt Ariſtoteli 2. de anima, plures ſenſus.) Quorum obiecta notiſſima ſunt. Sed Exterior ſenſibile non appræhendit. Niſi illud actu preſens fuerit. Contra ſentiens interior (quæ eſt genus ad ſenſum communem Imaginatiuam, Cogitatiuam, Extimatiuam, & Memoratiuam) etiam abſens cognoſcit ſenſibile.

Eſt autem ſenſibile, quod eſt ſenſu perceptibile. Quod ſi ſuam in ſenſu imprimit ſpeciem, ſenſibile per ſe dicitur. Si verò alterius rei ſpecie, vel priuatione iudicatur, ſenſibile per accidens exiſtit. Senſibile commune pluribus exterioribus ſenſibus percipitur, vt numerus, magnitudo, figura, motus, quies. Proprium verò ab vno tantùm, vt color, ſonus, odor, ſapor, & primæ quatuor tactiles qualitates. Horumq; ſenſibiliũ ſpecies ſenſibilis eſt proprium animæ ſenſitiuæ obiectum, de tertia qualitatis ſpecie, quæ paſſibilis vocatur, quòd ſenſum afficiat ac pati faciat, nam ſentire eſt pati 2. de anima.

Sed cur plures ſenſus. Nimirum quò ſenſibilium differentiæ nobis perfectiores ſint, & quò ſenſibilia propria magis à communibus differunt cognoſcantur, ſitq; diſtinctionum rerum maior certitudo. Verùm de interioribus ſenſus communis exteriorum ſenſuum vt centrum eſt ad quod primum perferuntur imagines, ſeu vibrationes ab omnibus præfatis ſenſibus. Quorum actiones diſcernit, & obiecta diiudicat.

Imagin

Imaginatiua ſuſcipit à ſenſu communi, & cuſtodit quicquid ad eum de formis ſenſibilibus defertur. Cogitatiua res, quæ in Imaginatiua repoſitę ſunt, exercet vſu componendi & diuidendi, & non ſolùm formas vt ab Imaginatiua ad ipſam deferuntur, concipit, ſed etiã formæ ab illis diuerſas, vt fama apud Vergil. aut inuidia & fames Naſonis, & qualia in poëtarum proſopographijs ac proſopopeijs leguntur.

Ab hac ſpecies ad Extimatiuã tranſeunt: ex quibus hæc potentia ex ſenſibilibus, res ſenſu non perceptas iudicat. Et quemadmodum de ſenſibilibus ſenſus in animalibus indicium facit. Ita in eis extimatiua decernit, quæ non ad ſenſum, ſed ad ſeipſam deferuntur. Sic agnus vel ouis, ex primo conſpectu viſo lupo, illum ſibi aduerſarium exiſtimat.

Ab Extimatiua quoq;, quæ eſt quintus Auicennæ & Alberto interior ſenſus, deferuntur ſpecies, intentiones, ſiue imagines ſenſibilium abſentium ad memoriam, quæ illas tanquam repoſitorium longo tempore conſeruat, easq́; ſubinde Extimatiuæ Phantaſiæq́; refert. Meditationes inquit Ariſto-

teles, reminiſcendo memoriam cōfirmant, ſunt enim crebræ repetitiones, atq; recurſus imaginum, quatenus imagines aliorum ſunt. Eſt ergo memoriæ & meminiſſe non oblita, & reminiſci. Id eſt, oblita recordari. Ex præfatis itaque conſtat, interiorum ſenſuum obiecta nihil aliud eſſe, quàm rerum ſenſibilium ſpectra, ſiue ſimulacra à ſenſibus exterioribus eruta.

Sed dubium de organo ſenſuum interiorum, nam Auicenna ſenſui communi & imaginatiuę primam cerebri cellulam aſcribit. Cogitatiuæ atq; extimatiuæ mediam, & memoriæ poſtremam. Alij quidam diuerſum ſentire videntur. Vt Graduenſis ſuper9. Alm. Eſt tamen in confeſſo, quòd vna & altera iſtarum virium lædi poteſt, citra reliquarum offenſam. Quod Galenus duabus hiſtorijs declarat 1. de ca. ſy. Atqui virtutis actioni noxa haud incidit. Niſi ipſa virtus per intemperiem lædatur, vel organum offenſum ſit.

Reſtat modò anima rationalis, de cuius eſſentia dubitare videtur Galenus 8. de plac. Lucidum inquit æthereumq; corpus eſt, aut prorſus incorporea. Mens ſanè incor-

porea eſt, quia non habet trinam dimenſionem. Nihilominus corporea dici poteſt, quoniam ſubiecto corporeo coniungitur. A quo tamen ſeparabilis eſt, ſicut incorruptibile, à corruptibili, vt loquitur Ariſtoteles 2. de anima.

Quod autem νοῦς, id eſt, mens, ſiue intellectus ſola pars hominis cognitiua ſeparabilis ſit, nullaq; diſſolubilis morte, apparet ex eo, quòd pars illa animæ, quæ ad ſenſum pertinet ſenſibilium excellentijs hebetatur vel corrumpitur. Intellectus contrà quo maiora capit, magis viget, perfectiorq; fit. Magnum quippe argumentum, quod nullo corporis ad intellectionem cogitationem'ue, eget miniſterio, ſiquidem corpus, eiusq; ſenſus vehementiori actione ſeu paſſione fatiſcit, & maximè ſenio, vt tradit Philoponus. Cui aſtipulatur Simplicius in ſuis in libros de anima commentarijs. Aſſerit enim quòd animus corrumpi non poteſt, quia illud maximè contingeret in ſenectute. Atqui contrarium videtur, vegetior ſcilicet in ſenecta. Qua ex re, haud temere reipublicæ regimen ad ſenatores, & ſenatuſconſultum refertur. Adde quòd in

ſomno, & in mentis exceſſu (quam vocant ecſtaſim) animus maximè declarat ſuam diuinitatem. Ex quo intelligitur, qualis futurus ſit, quum ſe plane corporis vinculis relaxauerit. Ariſtotel. quoque 2. de g. animal. mens ait ſola extrinſecus accedit, eaq́; ſola diuina eſt, nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis. Vnde euidentiſſimum fit, illos toto cœlo errare, qui ſuadere conati ſunt, quòd ex ſententia Ariſtotelis animus ſit mortalis. In quorum numero eſt Pomponatius, Perretus, & Caietanus: Nam non modò in myſtica philoſophia, & in tribus de anima libris, animum immortalem fatetur, ſed etiam pręcitato loco, & in 29. problematum 9. vbi quæritur cur iuſtius habitum eſt hominibus vita functis opem ferre quàm viuis. Idem ſubindicat 12. metaphyſ. vbi eius naturæ meminit, quam dicit non impediri, quin à morte hominis ſuperſit.

Porrò eam Ariſtotelis ſententiam veterum nobiliumq́; philoſophorum teſtimonijs, ac vtriuſq; teſtamenti autoritate tueri facile eſt. Huc accedunt vel efficaciſſimæ rationes, quas D. Thomas, Hieremias Siculus,

lus, & Poſtellus vir certè impenſe doctus, memoriæ prodiderunt: ductas à fine, à cauſa virtutis, à natura mentis humanæ, à ratione ſubſtantiæ, ab æquitate, & iuſtitia Dei, à ratione naturæ vniuerſi, à ſapientia Dei, ab eiuſdem omnipotentia, bonitate, voluntate, à peccati natura, à proprietatibus diuinitatis, ab vniuerſi perfectione, à perfectione animi, à ratione actionis eius, à modo agendi, à comparatione potentiæ, à contemplatione materiæ animi, ab animi cum inferioribus differentia, à ſummo deſiderio animi humani. Rectè etiam colligit Caſtalio animam eſſe immortalem, quia homo creatus eſt ad imaginem & ſimilitudinem Dei. Extat inſuper docta Io. Ferrerij de animorum immortalitate academica enarratio. Quid? quod in confeſſo eſt, nullum animal homine infœlicius eſſe, ſi animus internecioni obnoxius eſſet. Atqui cuncta hominis cauſa genuiſſe naturam, & ſacræ literæ & Ariſtoteles affirmant. Vnde animum eſſe immortalem conſtat: Quod, vt quiſque fuit optimus, atque acutiſſimus, ita conſtantiſſimè aſſeruit.

De facultate animali motiua.

CAP. XV.

POTENTIA locomotiua eſt qua animal & animalis partes mouentur vel loco externæ, vel ſpiritu & loco internę. Diuiditur autem in imperantem & proſequentem. Imperans rurſus ſecatur in concupiſcibilem & iraſcibilem. Prioris ſunt ſpes,& lętitia, poſterioris verò metus & dolor. Proſequens motiua diſtribuitur in vitalem & progreſſiuam. Vitali ſubijcitur pulſus & reſpiratio. At progreſſiuæ contractio inceſſus, ſaltus, volatus, reptatio, natatio. Huiusq; cauſa gemina eſt, ſecundum Ariſtotel. 3.de anima. & lib. de motib. animal. videlicet, imaginatio ſeu deliberatio,& appetitio,his obtemperant nerui mirabili fœdere naturæ, qui impelluntur ſpiritu. Quum videlicet in imaginatione & appetitione agitantur ſpiritus. Sicut in dormientibus etiam videmus, in quibus ſine manifeſta imaginatione digiti aut brachia vel crura mouentur, quia ſpiritu nerui impulſi ſunt. In ægris quoque febricitantibus motus fiunt aſſidui,

& in

& incompoſiti membrorum, propter ſpirituum agitationem, vt ſcitè ait Mel.

Motus igitur voluntarius fit, quum appetitio excitato ſpiritu neruos impellit, qui cient muſculos. Muſculi chordas. Chordæ trahunt membra, ita progreditur eò, quò ducit imaginatio. Eſt ergo motus voluntarius qui iuxta imaginationem, ſiue delectum inchoatur & ceſſat. Motus contrà naturalis nec inchoatur, nec ceſſat, iuxta imaginationem animalis aut delectum. Sed obiecto præſente ſi natura non ſit ægra, non poteſt non ciere hos motus. Qualis eſt deglutio, quæ fit per facultatem attractriuam ventriculi virtute villorum, vt docet Galenus 3. natur. vir. Ita cibi concoctio vi caloris efficitur. Sic motus cordis agitat ſpiritus, ſeu tardius, ſiue celerius. Sic in ira feruor cordis mouet bilem.

Tertius motus tam voluntaria, quàm naturali fieri poteſt, vt anhelitus in ſomno, & Vomitus. Talis eſt etiam motus in vrinæ meatibus, partim naturalis, partim voluntarius, ſed horum nullus verè miſtus dici debet, ſi credimus Scaligero. Quia actionum naturalium aliæ meræ ſunt, vt conco-

ctio,aliæ cohærētes voluntati, ſed non ſem-
per, vt reſpiratio. Quare miſta actio dici
nequit:nec voluntaria actio in mem-
bris mera vlla eſt, habent
enim inſtrumenta
naturalia.

*

F I N I S.

QVOD TIBI FIERI
NON VIS, ALTERI
NE FECERIS.

VIRVM DE MILLE VNVM REPERI. VII. Eccl's

ΕΛΕΓΧΟΣ, SIVE RERVM MEMORABILIVM INDEX EX VIATORE.

*

Aquæ mortiferæ pagina 8
Aquæ amaræ ibidem
Aquæ color & odor unde 9
Aqua meridie frigida 9
Aquis lignum accenditur 9
Aqua inebrians 12
Aquæ potæ tingẽtes 3. & 12
Admirationi quæ ſunt 14
Actio omnis à contrario 15
Aqua pura non caleſit 28
Aër purus non infrigidatur ibidem
Aqua in lebete ebulliens cur in fondo uaſis frigida 28
Actionis duæ ſpecies 14
Bitumen quid 20
Cepa antipathiam cum luna habet 9
Corporis & animæ neceſsitudo 10
Contrarium ſibi contrarium fugit 4
Contraria quæ ſunt 16
Cometarum uariæ formæ 16
Cometæ & ecclipſes naturæ opus ſunt 17
Cryſtallus ui Solis ex aqua efficitur 19
Cur de cœlo tacta ſulfur obolent 20
Calor à luce diffuſus eo pertingit, quo lux non peruenit 21
Calor in plantis & animalibus quomodo ſtrangulatur 24
Cognitionis tres ſpecies 14
De caligine, pruina, rore, & nube 18
Elementa in quibuſdam partibus pura 28
Ecclipſes nihil mali præſagiunt 17
Exhalatione quæ fiant 16
Fons igniuomus 4
Fons Ginetri 10
Fons effœminatos reddens 11
Fons Abſtemios faciens 11
Fons interdiu innoxius, noctu mortifer 12

* Flamma

Flamma quibus extinguitur modis 26
Fulmina ſulfuris odorem habent 20
Flamma quid 25
Flammæ duplex motus ibid.
Fumus quid 25
Fontiũ cur aquæ deficiunt 27
Fontes in camporum planicie rari 27
Fons in montis inaceßi uertice ibidem
Fontium principia 19
Foßilia ibidem
Fons uim coaguli habens 10
Gemmarum materia 19
Grando 18
Ignis non una ſpecies 24
Ignis facultates numeroſæ ex materia ſubiecta ibid.
Ignis qui aqua accẽditur 24
Lapides 19
Lambrocera 18
Luna plena quæ augentur 9
Melampus primus medicamentis ſanare inuenit 11
Metalla 19. *Eorum cauſæ* 20
Maltha quid 21
Mycetia quid 23. *Eius cauſæ ibidem*
Mare cur ſalſum 27
Naptha quid 20
Nix ex pluuia quomodo generatur 18
Omnis flamma duos habet motus 25
Poëſis à philoſophia quomodo ſeparatur 7
Philoſophus philomitos eſt eadem
Problema quid 13
Quæſtionum genera 13
Quæſtiones ſcibiles 14
Quæ de cœlo tacta ſunt ſulfuris habent odorem 20
Sanguinis uarietas mentem uariat 11
Subſtantiæ completæ nihil eſt contrarium 15
Spirationum differentiæ 16
Spirationum cauſa 22
Symbola omnino inuicem non agunt eadem
Terræ motus cauſa 18
Thermæ cur ferueant 7. 29
Thermarum unde medica facultas 29
Ventorum quatuor principaliſsimi 18
Vapore quæ fiant foßilia, lapides, metalla, gemmæ 19
Vſtibilia quæ 26

Errata in Viatore.

Pag.10.lin.14. forſan qui. lege forſan quia. Pag.11.lin. 13. lege narcotica. Pag. 20. lin. 5. chynici lege Chymici. Pag.22.lin.4.imparat.lege præparat.

ἔλεγχος SIVE RERVM MEMORABILIVM INDEX EX LIBELLO DE ADMIRANDIS FACVLTATIBVS.

*

Anima alia hominis, alia brutorum pagina 7
Animalia quæ in alia transmutantur 11
Apium lactantibus malum 14
Aproxis 14
A fabis cur abstinuit Pythag. 14
Amoris origo 45
Amantium ſemen 45
Ad amores ſedãdum 20.47.
Abstemios facit 22
Apes 22
Aues ex flatu 26
Amianthos lapis 29
Auium ſymporthia 29
Antipathia 30
Aquilinæ pennæ 37
Ad hæmorrhagiam 36
Aſpidis lingua 40
Ad ſolutam continuitatem 42
Animæ in homine tres 46
Annuli miram uim habentes 47
Amygdala ſolitaria 48
Affinitas leoni cum delphino 35
Apri muſica capiuntur 42
Aſclepiades 43
Animalia timida astuta ſunt 44
Arcus cælestis 47
Aequanimitas ex lente 48
Alyſſon rabientes ſanat 49
Amuletis an fidendum 52
Adamas 54

Aër an ſub aquis 9
Agelaſti 8
Aſclepiadis curatio 43
Audaces quibus clara uox 44
Bruta habere rationem 6
Brutorum locutio 6
Boues ſuſiæ numerandi ſciẽtiam habent 6
Bruta cur uocem habent 7
Bruta cur non loquãtur 7
Bruta locutionis organa habent. 7
Braſsica pueris utilis 14
Balſamum 22
Breuis rarò humilis 43
Ceruus Græcè intelligens 6. 56
Cypi regis cornua 10
Centauri an fuerint 13
Cinclus amuletum 20
Crocodilus 20
Canis rabidi ſputum 24
Comitialis morbus 29
Caro lupi 29
Carnis comeſtio 31
Cuculus 32
Cynocephalus 39
Clauſa quomodo aperiantur 32
Cercopithetus 33
Cancer 27
Canes 36.37.38
Caldarius auis 38
Continui ſolutio curatur 42
Corporum effigies in aëre 46
Cicada fœmina muta 49
Cygi annulus 47
Ciconiæ 48
Cæca proprietas 54
Cadauera merſa cur attolluntur 16
Cadauera cur ſtillant cruorem 16
Cadauer recẽs abſconditum infert timorem 16
Deſperatio non ſemper timorem auget 45
Domitura leonum febris quartana 35
Equis ineſt intellectus 6
Elephans ſcribens 6. furens 20
Effacinationis cauſa 10
Equi lycoſpades 24
Echeneis 25
Equæ ex uento concipiunt 26
Ex oculis præſagium 27
Eſtimationes mouent humores 56

Equus

Equus ſeianus 56
Equa ex homine 11
Fabæ florentes 14
Fulminis miranda 23
Phalacrus 30
Felum pupilæ 48
Feræ ignem fugiunt 35
Facultates mirabiles per totũ
Facultas elementalis & cæleſtis 50
Grues pluuias præſagiũt 48
Gruum cerebrum ibidem
Galli cantum & ipſum Gallum timet leo 35.54
Gladius quo homo interfectus eſt 25
Hominum quorundam natura mirabilis 55
Homo ſolus loquitur 5.7
Homo animal locutorium 5
Homini cur data locutio 5
Hippopotami dens 25
Hyena piſcis 33
Hyena ſerpens 37
Hyena quadrupes 37
Hirundines albæ 32
Hominis uox à lupo læditur 34
Hydrophobiæ cauſa 15
Imaginationis uis 10
Indiuiduum quid 17
Ingenio præſignes 27
Ingenium quando uiget 47
Inſomnia mira 32
Iræ remedium 44
Iris 47
Ignem fugiunt feræ 35
Intellectus agens Ariſtoteli quid 46
Iraſcibiles qui 44
Luna 39.40
Lupus 38.39
Lupus ex homine 11
Leo 35. eius domitura 35
Lupos perhorreſcunt oues mortuæ. 38
Lacerti diſsecti reſanantur 41.42
Loquelæ organa 7
Loquutio quid 5
Lapis heraclius 26
Loci naturalis facultas 28
Lepus ominoſus 17.48
Longus raró ſapiens 43
Lingua diſcernit naturæ ſimilitudines & diſsimilitudines 50.
Magia naturalis quid 4
Muſæ unde dictæ 4
Muti in Clarimontis turri nati 9
Muti in nauibus nati 9

Metamorphoſis hominum 12
Mulæ pariunt 13
Mulorum genus ſterile 13
Morus arbor cur ſapientiſſima 22
Muſcæ mortuæ quomodo reuiuiſcant 38
Muſicæ uis 42
Natale sŏlum 28
Nilus 31
Noua cur appetimus 45
Nephes, neſſamach 46
Nocma auis ominoſa 49
Oedipus aperuit Sphingis ænigma 12
Oua 32
Oues mortuæ timent 38
Oues 39
Ocymum mulieribus infeſtum 40
Olor 48
Ouium greges Muſica pinguеſcere 42
Piſces an audiant 9
Putredo corpora leniora facit 16
Pinus, palma 22
Pocula mira 31
Proprietates ex tota rei ſubſtantia 50
Proprietates rebus omnibus inſunt 50. Vnde proueniunt 51
Proprietas non omnis à cælo 52
Qui à peſte non læduntur 19
Quæ de cœlo non tanguntur 23
Remoræ uis mirabilis 53
Riſus quid 8. an eius cauſa ſit admiratio & cutis tenuitas 8
Rex gallorum iatrochæradicus 18
Rex Pyrrhus 19
Ruach 46
Riſus ex præcordiorum uulnere 8
Ranæ cur uocales & mutæ 38
Surdi ab ortu cur muti 9
Stigmata Diui Franciſci 10
Sphingis ænigma 12
Semiferi partus 13
Sorbus rabiem excitat 15
Splenetici quî fiant 20
Scorpius ne noceat 21
Strutocamelus 20
Saluiæ uis 24
Scobs dentis equi fluuiatilis 25

Sŏli

Soli natalitij uis 28
Somniantes cur ambulant 32
Serpentes 27
Solis radiorum uis 41
Sermo non ex mente 5
Sermo iræ & triſtitiæ remedium 44
Strumæ ſolo Regis tactu curantur 18.19
Semina quomodo fiant meliora 47
Titillatio cur ridere faciat 8.
in quibus partibus fiat 8.
eius cauſa 8
Taurus ferus fit mãſuetus 21
Torpedinis uis mira 26
Tigris quibus furore corripiatur 48
Tubarum ſoni pugnaces faciunt 43
Volucres quæ loquuntur 6
Volucres licet uocem hominis ſonent, non tamen loquuntur 7
Vulnera quomodo læduntur ex ſuperuentu aliquorum 19
Vina an diluta ſint depræhenduntur 20
Vultur 26.38
Venus cur orta mari dicitur 29
Vipera 32.27
Vulturis pennæ 38
Veſtis quomodo à tineis non attingitur 19

Errata in libello de abditis.

Pag. 2. lin. 5. phyſicis nulli ſit ipſe ſecundus. pag. 6. lin. 12. ſermonis modo lege rationis modo. pag. 10. lin. 3. ſi qua, lege ſigna. pag. 15. lin. 17. lege hydrophobos. pag. 19. lin. 17. nunquam lege unquam. pag. 30. lin. 24. diſpathiam lege apathiam. pag. 9. lin. 2. lege uiſu præſtare probare contendunt. pag. 43. lin. 23. ſeniores, lege ſæuiores. pag. 44. lin. 6. in anguſti lege anguſto.

INDEX CONTENTORVM IN LIBELLO DE HIS QVAE AD MEDICVM PERTINENT.

*

Apuleus Celſus Scribonij præceptor pagina 25
Artificis nomen ab artę 3
Arithmetica Medico utilis 10
Aſtronomia Medico neceſſaria 12
Animus ſine corporis ſanitate non rectè ſapit 30
Actio laudatur, contemplatio honoratur 31
Aphoriſmus Raſis explanatus 32
Ars quæ ab experientia naſcitur, Medico neceſſaria 34
Animi morbos Medici ſanant 29
Animo ſingulæ ſenſoriorum ægrimoniæ officiunt 30
Artis liberæ opera ſint libera 36
Bonus Medicus omnes philoſophiæ partes habet 6
Coſmographia Medico utilis 11
Carneadis purgatio 16
Campegij Symphoriani laus 19
Cognoſcenda Aegrorum retrimenta quomodo 21
Curantis officium 24
Curare quid 25
Coquus Medici famulus 26
Chirurgus Medici miniſter 27
Coi parentabant Hippocrati 30
Certæ notæ unde colliguntur 33
Conſultationis methodus 35
Dogmatici Medici 5
Doctrinales modi 8
Doctrinarum ordines eadem
Dialectica cũ rhetorica conuertitur 17
Diſciplinæ omnes inter ſe habent communicationẽ 18
Dialectica utuntur etiam illiterati 19

Dupl

Duplex Medici munus 24
Diætam præparat obſonatricis artis Magiſter 26
Dei definitio 30
Empirici 5
Empirici maiores pharmacopolis ſunt 4
Encyclopedia Medico utilis 16
Excremēta ſentire inſalubre indecorumq́; 21
Ex fine artes honeſtæ uel ſordidæ 36
Electio dierum unde 21
Figura ſyllogiſmorum quarta 17
Florentinus Tadeus eadem
Galenus animæ ſubſtantiam ignorauit 17
Fallitur in ſupputatione lunaris motus eadem
Moſem redarguit 18
Grammatica Medico neceſſaria 6
Geographia Medico utilis 11
Geometria Medico commoda 11
Hiſtoriæ diuiſio 7
Hiſtoriarum cognitio Medico neceſſaria 7
Hippocrates ueram dialecticam haud nouit 9
Hippocrates haud in omnibus imitandus 21
Herbarij Medicorum famuli 26
Imperatores aliquot Medici fuere 23
Iucundè curare quid 25
Inſtrumenta ſalubria 25
Indicationes curatrices 34
In conſultatione dicendorum ordo 35
Logica Medico neceſſaria 9
Logicæ utilitas eadem
Logica duplex 9
Languens Medico obediat 28
Medici nomen 3
Medicus ſui corporis curam habeat 3
Medendi uiæ tres 4
Medendi duo modi eadem
Medicorum ſectæ 4
Methodici Medici quales 3
Medicus uerboſus taxatur 9
Mathematicæ diuiſio 10
Muſica Medico utilis 11
Muſicæ diuiſio 11
Metaphyſica Medico utilis 14

Moralis philoſophia Medico *neceſſaria* eadem
Moralis philoſophiæ diuiſio 14
Macrobij error 16
Medici *ſanctorum catalogo adſcripti* 23
Medici *ne ſint contagioſi, putrium excrementorũ qualitates, de parabolanis cognoſcant* 21
Medici munus duplex 29
Mũdicies Medico *neceſſaria, hanc enim reponit* Hippocrates *inter* Aegrotantium *gratificationes* 25
Medicus *gratificari* Aegro*tis debet* 25
Medicus *adulari non debet eadem*
Medicamentorum *præparationis* Magiſter 26
Miniſtri obediant Medico 26
Medicus *nullo miniſtrantium officio uti debet* 26
Medicaſtri 27
Medici *diuinis honoribus culti* 23
Medicina *ſcientiarum nobiliſsima* 30
Medicina *omnium conſortio doctrinarum conſumata* 30
Medicus *laudandus & honorandus* 311
Medici plures ad conſultandum conuocandi 322
Medici cur inuicem controuerſi 333
Menecratis liberalitas 366
Medicinæ præmia 377
Non *multos* Aegros *unà curare* Medicus debet 288
Nymphæ hominibus diuini co res 244
Olfacienda non ſunt excrementa, ac multo minus guſtanda 21
Officium curantis 244
Philoſophiæ diuiſio 10
Poëſis Medico *neceſſaria* 17
Poëtæ plures Medici 18
Phyſica Medico *neceſſaria* 11
Phyſicæ diuiſio 10. & 11
Phyſica Medicinæ *ſubalternata* 166
Populus rethoricam callet 15
Præſagationis canon 355
Probabiles notæ 333
Quadruuium *Medico neceſſarium* 10
Rationalis philoſophiæ partes 66

Rheto

Rhetorica Medico utilis 9
Reges Medici fuerunt plures 23
Res præter naturam quomodo noſcantur 34
Res naturales quomodo noſcendæ eadem
Sapientiæ definitio 14
Sapientiæ nomen æquiuocum eadem
Sanitas utiliſsima, eiusq; præſtantia 30
Signa ab eſſentiæ ratione certa 34
Sanatiuum conſilium unde ſumendum 35
Summa præſagationis 35
Sorani conſilium prudentiſsimum 36
Tria ſpeculatiua genera 10
Topographia Medico utilis 11
Tuto curare Medicus debet 24
Tadeus Medicus 37
Viæ medendi tres 4
Veriſimilia à ueris diſcernenda 8
Virium morbiq; robur unde cognoſcitur 35
Zoophyta. 24

Errata libelli de his quæ ad Medicum pertinent.

Pag. 4. lin. 6. Alter rationalis qui à Medicorum miniſtris lege, alter rationalis, qui à Medicis præſtatur. Alter empiricus qui à Medicorum miniſtris.

INDEX RERVM MEMORABILIVM EX LIBELLO DE SECTIS.

*

Artes naſcentes rudes pag. 3
Artes ornatus gratia 6
Artium dignitas unde 7
Adulationes in artibus 4
Artium decreta & præcepta eadem
Auxilium 8. & 9
Anatome muſculorum ſoli chirurgo neceſſaria 27
Antonius Muſa 21
Apti ad omnes diſciplinas 6
Conſultationes Medicorum 17. & 18
Conſilio & rationi Metus officit 7
Curatio quo tendat 7
Dexter uſus 8
De quibus conſultandum 27
Eruditi natura 6
Aegri officium 13. & 14
Non obtemperantes Aegri contemnendi 23
Timidi ſunt firmandi eadem
Timidi fallendi ſunt 24
Fortunati ſunt arrogãtes 14
Difficillima quæq; conficiũt 27
Fœlicitas quorundam 21
Galenus in periculoſis inexploratis non utitur 8
Hippocratis laus 20, 22, 24
Ingenioſi artium ſemina habent 5
Ingenia quæ meliora 6
Inſcitiæ argumentum 24
Iudicium quid impediat 23
Lex quid 9
Medicus honoratus ſolo medetur conſilio 23
Medicorum miniſtri manus artificio eadem
Medici ſermo, & taciturnitas 23
Medici ueteres Aegrotantibus imperabant 19
Merces Medici 21
ex lege diuina conſtituta eſt Exo. 21
Medicinæ finitio 3. & 10
Muſarum mater 4

Medicinæ

Medicinæ ſcientia antiquiſſima 4
Medicinæ laus 5. & 28
Medicinæ utilitas 5. & 20
Medicorum laus 21. & 22
Medicus Conſtantini Imp. fuit Actuarius, cum alijs centum & quinquaginta teſte Myrepſio.
Non ſubitò pronuntiandum 25
Nulli credendum Medico, niſi ætatem habenti eadem
Oligarchia 11
Pulchra quæ 27
Parabolani qui 19
Proangeli 12
Prodromi eadem
Propatia 12
Prudentiæ Mater eadem
Philoſopho uitanda 25
Procraſtinatio uitanda 7
Quæ morbum producunt 11
Similitudines fallunt 24
Stultus quis, & ſapiens qui 25
Temerarius qui 25
Veterum libri legendi 4

Errata.

Pag. prima. lin. 15. lege ὅιον ἐκ διαδοχῆς τῶν κατὰ μέρος προαγαγόντων. pag. 2. lin. 8. lege ſoror una eſt. pag. 3. lin. 7. facultas. lege facultas ars eſt. pag. 16. lin. ult. præſenti. lege præſertim. pag. 19. lin. 8. qui, lege quod. Item ubicunq; ubi ſcribitur Socrates, lege Iſocrates.

INDEX LIBELLI DE MEDICA THEORESI.

*

De Medicinæ finitione. ca. 1. pag. 3
De Medicinæ diuiſione. cap. 2. 8
De Medicinæ fini. cap. 3. 12
De Medicinæ ſubiacentia. cap. 4. 14
De elementis. cap. 5. 17

De

De temperamentis.cap.6. 23
De ſexubus 32
De Aetatibus 36
De anni temporibus 40
De regionibus 41
De climatibus 42
De humoribus.cap.7. 43
De humorum indicijs.cap.8. 62
De concoctionibus & earũ excrementis.cap.9. 70
De partium eſſentia, & differentijs.cap.10. 78
De facultatum generibus. cap.11. 99
De facultate naturali.cap.12. 102
De facultate uitali.ca.13. 109
De facultate animali.cap.14. 113
De facultate animali motiua. cap.15. 120
De animæ rationalis immortalitate. 116

Errata.

Pag.4.lin.13.lenia,lege leuia.pap.7.l.ultima quam,lege quod.pag.9.lin.22.liquido,lege liquet.pag.10.li. 12.eneticę.lege euetice.pag.36.lin.15.inſtit.lege infit. pag.57. l.15. ſunt pallida,lege ſicut pallida.pap.6.l.penultima uictum calidum & ſiccum,lege calidum & humidum.pag.62.lin.15. per metum frigoris,lege per metum uel frigus. pag.66.l.6. κυμα.lege κῶμα.linea 10.lege de ca.ſymp.pag.68.l.8. diotropiæ,lege indiotropiæ pag.73.l.22. prouenit,lege peruenit. pag.89.lin.6.dragma.lege differentia.pag.91.lin.3. & Ariſtoteli lege & ut Ariſtoteles. pag.92.l.11. ſenum, lege ſeuum. pag.100.l.7.ut Galeno, lege ut Galeno placet.pag. 111.l.15.frigida atq; frigida,lege frigida atq; ſicca. pag.113. l.prima. locus enim, lege locus in. linea 3. laus, lege locus, pag.119.in calce, Adde. Chaldeos & Indorum Magos humanam animam eſſe immortalem, primos omnium tradidiſſe, Pauſanias monumentis prodidit.

IACOBVS SYLVIVS HIERON. MONTVO SVO S. P. D.

*

ET MIHI *dictu, & tibi creditu difficile eſt, quàm violenter feram deſiderium tui tam diuturnum. Quippe quem vnum medicum in illa tota mea peregrinatione expertiſsimum, hoc eſt, hominem in Philoſophorum omnium, & Medicorum ſectis tam fœliciter verſatum, vt in vna qualibet ſola ſtudium operamq́ poſuiſſe videaris. Tu Ariſtotelem, tu Auicennam, & cæteros eius farinæ ſcriptores tanquam vngues & digitos pernoſti. Nulli domus ſua magis nota eſt, quàm tibi atq́ adeò iuueni, Hippocrates, Galenus, & reliquus Aſclepiadarum chorus. Quid vis? quum à Medicis noſtris interrogor, ſi quem Medici nomine dignum iudicaui, duos profero: te velut Daretem, & noſtrum Campegium ceu Entellum quendam. Nec dubito (mihi crede) in omni ſermone meo te, quod res eſt, ſapientem et Archiatrum appellare. Vt animi mei gratitudinem teſtarer, nolui iuuenem hunc mei & medicinæ ſtudioſiſsimum, & doctum literis meis vacuum ad te venire. Vale. Lutetiæ, ex ſchola Cameracenſi.*

1527.

*

Priuilegij Sententia.

Literis regijs cautum eſt Hieron. Montuo, Mirabelli Domino, Medicoq́ Regis ordinario, Nequis iniuſſu hæc opuſcula Iuuenilia ante decē annos imprimat, ne'ue vſpiam impreſſa vendat. Qui contrà fecerit pœnis ex ſanctione multabitur. Datum Fonsbellaquei, Pridie Cal. Septemb. M. D. LVI.

65